
LEIGH
IN
ABADIAM

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

1,-153

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 011 19 8

+REX

BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

COMMENTARIUS IN PROPHETAM OBADIAM

Operâ & Studiô

MICHAELIS LEIGH.

HAFNIÆ, Literis Reg. Majeſt. & Univ. Typogr.
Johannis Philippi Bockenhoffer, 1696.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

CENSURA.

Gratiam & commendationem meretur luculentus & inſignis hic in PROPHETAM OBADIAM Commentarius, qvem pro more ſuo ſuccinctè & eruditè concinnavit Vir non paucos ante annos de Republica Literaria præclarè meritus Mag. MICHAEL LEIGH Rector Scholæ Stavangrienſis; Piis ubiqve ſcatet meditationibus è ditiſſimo Penetralium Sacrorum Theſauro depromptis, & ſaporem limpidiſſimi Fontis Iſraëlitici per omnia præbet: Uberiore itaqve Ampliſſimæ Facultatis Theologicæ ſuffragiô præmunitus in lucem publicam procedat. Chriſtianſandiæ III. Id. Mart. Ao. Χριστογονίας M. DC. XCVI.

JOH. MUNCH.
Chriſtianſand. Epiſcop.

Approbatio Academiæ Hafnienſis.

Eſt qvidem, inter Prophetas, OBADIAS numerô verborum brevior, ſed pondere tamen doctrinarum ac ſententiarum, præſertim circa execrandam illam Idumæorum ἐπιχαιρεκακίαν, qvam aſperiore elencho perſtringit, nullô Prophetarum inferior; ut rectè qvondam Venerabilis Dnus. JOHANNES ELLIS, Mervinenſis S. S. Theolog. Doctor, & Eccleſiæ Whitfeldienſis in Comitatu Oxonienſi Rector, in ſuccincto illo ſuo, ſuper Obadiam, ante undecim abhinc Luſtra, Commentario, dixerit; „ latitare paſſim in hoc Prophetarum minimo, documenta longè pulcherrima „ & efficaciſſima, non ſecus ac, in parvis ſæpe unionibus ac gemulis, virtu„ tem fulgorémq; admirabilem. In hoc ergo Propheta, diductiore jam interpretationis filo, uberiùs tractando atq; enucleando, dum divitem haud proletariæ aut ſuperficiariæ eruditionis ſuæ, vel à teneris dudum Academiæ noſtræ perſpectæ ac cognitæ, ſupellectilem, & minimè vulgares ingenii dotes Reverendus & Clariſſimus Auctor, tam luculenter exerit, eaſdémq; Nobis ſub tam præclaro Nobiliſſimi & plurimùm Reverendi Dni. Chriſtianſandenſium Epiſcopi Encomio transmittit, nihil ſe offert, cur vel typos non concederemus publicos, vel avida legere fortè appetentium deſideria diutiùs ſuſpenderemus. Dabam Hafniæ XI Calend. Junii Anno M. DC. XCVI.

H. BORNEMANN. D.
Sæland. Epiſcop. & Facult. Theol. Decanus.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

SERENISSIME ET CELSISSIME,

FRIDERICE

PRINCEPS HÆREDITARIE,

DANIÆ, NORVEGIÆ, VANDALORUM, GOTTHORUMQVE.

DUX

SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET DITMARSIÆ.

COMES

OLDENBURGI ET DELMENHORSTI.

DOMINE CLEMENTISSIME.

QVi Reges veneraris Avos, Qvi Gloria gentis
Arctoæ, & ſêcli es Solqve Jubárqve Tui.
Accipe proſtrati munuſcula parva clientis,
Hócqve Tuis liceat far adolere Focis.
Vel majora darem, caſa nigra ſed obſtrepit auſis,
Et jejuna nimis bibliotheca vetat.
Qvod ſupereſt, multos vivas Felicior annos
Sitqve Tua æternùm Fauſta Tiara precor.

SACRÆ REG. ALTITUD. T.

Omni fide ſubjectiſſimus Servus

MICHAEL LEICH.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

In lucem jam eâ, qvâ vides, facie prodit ingenii noſtri fœtus, & à Tuo fatum arbitrio officioſè exſpectat. Limatiorem eqvidem ſeſe publico oſtenderet, vel æternis ſepeliretur tenebris. Cœterum, ut benigniores reperiat Interpretes, & Scholaſticus, qvem duplicatô jam ſexenniô collegimus, pulvis, & Bibliotheca jejunior, &, in qvibus computreſcere coacti fuimus, tenebræ humillimè intercedant. Vale.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Reverendo Doctiſſimo Clariſſimoqve

VIRO

Mag. MICHAELI LEIGH

Scholæ Stavangrienſis Rectori digniſſimo, Parræciæqve Maldenſis Paſtori Vigilantisſimo, amico ſuo ſingulari enucleatiſſimum in Prophetam Obadiam Commentarium publicanti, rudi Minerva ita gratulatur,

Thormodus Torfæus Hiſtoriographus Regius.

Lexica contexant alii, vel geſta potentum,
Aut varias artes, qvas didiciſſe juvat.
Abdita Tu pandis ſacri myſteria vatis,
Et ſimul ingenii vimqve decusqve Tui.
Fatidicæ perhibent proceres Oracla Sibyllæ
Urbis Romuleæ conſuluiſſe decem,
Arbiter iſta poli cælo demiſerat alto,
His Erebi Antiſtes forte fefellit anum.
Idumeas Pater ille vices venturaqve deinde
Orbis fata aperit, urbis at illa canit.
Haud eqvidem hæc deni poterant reſerare qvirites,
Tu monitore carens attamen iſta doces.
Perge bonis avibus, fauſto qvoqve ſidere plura
Dogmatis ætherii ſcita repande pia.

Ad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Ad Affinem honoratiſſimum,

Cum ſuas in Obadiam obſervationes publicaret.

Qvanti te faciam LEGIUM, non amplius addam,
Qvam qvod mens mihi ſit propoſitiq; tenax.
Carmine perpetuo celebrandi illuſtria ſcripta
Prophetam denſum clarificantiáq;.
Parturiens verò, mox excuſatus abirem,
Partibus ut fungar, tempus abire monet.
Nuntia prædicens, qvæ mî mea munera mandant
Ite viam ſanctam, pœniteat ſceleris.
Pectore verba tamen laudo, lauderis ut abſens
Grates perſolvo, gratulor en tibi Laus
Præclaro LEGIO, cùm ſic exponis Idumen
Aulicus ABDIAS, Clericus alter ut hic.
Cum ſic doctrinas monſtras, Hieronymus alter
Fontibus ex altis, artibus atq; modis.

JOANNES GODSONIUS.
Paſtor & Præpoſitus Stavangrienſis.

In elaboratiſſimum Opus

VIRI CLARISSIMI

Amici Veteris.

Non prodeſt placuiſſe ſibi, non fidere rebus
Ter-

Terrenis, fratrem non ſpoliare juvat.
Id qvod monſtrat onus flagrante moleſtius Ætna,
Qvod meruit tanto crimine ſævus Edom,
Et ne fortè alios hæc Acroceraunia fallant,
Doctè adeò Abdiam heic expoſuiſſe ſtudes.
Dumqve etiam Eoos apices & pandis Idumen,
Muſa Palæſtinæ non reticebit opus.
Perge piis porro ſic inclareſcare ſcriptis,
Et pateant ſtudii ſigna opulenta tui.

OLAUS STORMIUS.
Paſtor Eccleſiæ Crucis Bergenſis.

Ad Affinem

Admodum Reverendum & Clariſſimum

Mag. MICHAELEM LEIGH,

Noſtri MICHAEL ſplendidum decus ſoli,
Laborioſo qvod dedit molimine
Vis ignei divinior ſcriptum ingenI
Æternitatis nomen intexat tuum
Peplo, emori nec orbis æqvior ſinat.
Prodeſſe perge publico, Affinis, bono,
Et cæteras feliciorum noctium
Curas ſitu ſqvallente promptè vindica,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Ac docta jure publico frui ſine
Scripta ingenI. Sic fama nominis tui
Docti vigebit ævi honore poſthumo.

JOHANNES SEEHUUS
Paſtor Hellelandenſium & Vallium
Præpoſitus.

Sic præclare novos pergis proferre Magiſter
Fructus, edendo, Leigh, meditata tua.
Aſſiduâ verſâſſe manu monumenta Sacrorum
Sic juvat, & ſtudiis invigilâſſe piis.
Hinc vidiſſe ſat Obadjæ myſteria Vatis
Enucleata Sacrâ dexteritate licet.
Hinc te mandato demonſtras munere dignum,
Dignè in Clarorum téq; cohorte ſitum.
Hinc vehet ad majus Virtus te culmen honoris,
Et ſeræ Laudes poſteritatis emes.

Admodum Reverendo, nec non
Clariſſ. AUTORI
Affini ſuo honoratiſſ.
p.
JONAS SCANCH.
Paſtor Höjland.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Qvem virum pegaſejô melô ſumes ce-
lebrare Clio ?
Cujus nomen recinit imago
Super montibus Eſavi & Sionis, ſuper
Pindo, Parnaſſóqve,
Et Gelida Dofra.
Ille avtem eſt,
Aqvilone ſecundâ actus,
Admodùm venerandus & clariſſimus,
Mag. MICHAEL LEIGH
Qvem plenîs honorum muneribûs
per titulos
Memorésqve faſtos æternabunt,
LYCEUM atqve DELUBRUM.
Hinc
Elogium mutandum trilogiô:
Gloriam DEO, honorem PATRIÆ,
laudem SIBI
fœneravit, comparabit,
Dum commonſtrat, nunqvam ſe minùs
otioſum eſſe,
Qvàm cùm otioſus.

Id

Id eſt:

Qvoties vel *minima* clepſydræ portiuncula relinqvitur *vacua*,
Toties vel *maximis* meditatur moliminibus *plena.*
Redivivus hoc prædicat OBADIAS,
Mortuus PROPHETA,
Mutus PRÆCO:
Non acuta tamen ſic geminant Corybantes æra,
Ut verba verberant qvaqvaverſum aëra:
Teſtes rara ex his emedullata Commentaria varia.
Nunqvam ſuam pulla ficus ſic ornat arborem,
Semper hic purus fructus ut decorat Autorem,
Saliaribus dapibus pulvinar ornantem Dei,
Et grande munus cecropiô repetentem cothurnô.
Eqvidem!
Ampullemini ſub Critico LEIGH vos *Angli:*
Sed jactabimus & Criticum LEIGH nos *Norvegi.*
Nam inertes exhalent nebulas furvæ Evmenides Erinnyesqve
Nec greſſum ſtygia cohibebit unda;
Ex catapultis tela trabalia mittat orco edita turba,
Spiſſa ramis laurea fervidos excludet ictus;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Rubignoſis ſcriptum dentibûs rodant Sycophantæ lividi,
Malas improbiſſimis edentabit acumen vividum.
Adeſte igitur ex Pindo Muſæ, applaudite Pieridum Comites,
Vobis ſparta ornanda.
Jovialiter vivite diſcentes,
Tutò dege amſancta gens,
Animas in veſtras pius vigilqve Cuſtos animatus.
Gratulamini ergo Vobis; & etiam mihi:
Eundem enim, qvem in ſchola olim ab hoc Magiſtro hauſi,
Doctum ab ore & calamo pendentem humorem,
Jam qvoqve attraho ſubtiliſſimum, qvem ſtillat cerebrum, rorem.
Tunc doctiſonum audivi PHILOLOGUM,
Nunc mellifluum delibo THEOLOGUM.

Eheu *Judæa!*

Hunc ſtellis inſere & concilio Jovis;
אתה שכני בחגני סלע ובין הרים
תגביה כנשר ושם קנך בין כוכבם:

Euge *Syria!*

ܠܡܫܡܫܘ ܠܒܝܬܗ ܠܡܬܘܪܐ ܕܡܪܝܐ ܬܘܪܐ ܕܡܪܢܐ
ܐ ܢܘܪܐ ܡܢ ܠܡܠ ܢܦܫܟ ܐܡܪ ܡܪܢܐ

Eja!

Eja! qvid *Græcia*?

Χαίρε τέκνον Ἀπόλλωνος, ἴσθι κλῆρος Θεοῦ,
Ὄλβιος ἐν ἔργῳ, ὄλβιος ἐν λόγῳ.

Qvid *ego*?

Sis precor in vivis felix, & functô corpore beatus,
Sic, Deô volente, ab omni parte beatus.

Ità

تلميذ طيع.

JACOBUS RASCH
Mag. Philoſoph.

Argumentum.

Prophetia hæc brevior prolixoris indiga non eſt argumenti. Prætervehitur Propheta Nationem, familiam, locum Nativitatis, qvorum qvidem omnium injecta exſtaret mentio, ſi vel ſcitu neceſſaria, vel qvid auctoritati, verbiq; efficaciæ addere potuiſſet. Ut autem conſvetudini ſatisfiat, non abs re futurum arbitramur, ſi diverſas de Scriptore certantium Auctorum ſententias pauciſſimis tetigerimus. Exiſtimant nonnulli ipſum fuiſſe Idumæum proſelytum, prophetico repletum ſpiritu, qvi judicia DEI popularibus denuntiaret; ſed hæc non magis ipſum Idumæum fuiſſe probant, qvàm Jonam vel Nahum fuiſe proſelytos Aſſyrios, vel Eſaiam, Jeremiam, Ezechielem tam diverſis genti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

tibus ortos eſſe, qvod contra tot gentes prophetentur. Alii eundem fuiſſe putant, qvi ſub Rege Samariæ Achabo & impiiſſima Jeſabel in ſpecubus centum occultavit Prophetas. Cæterum vel exinde contrarium videbis, qvod captæ Propheta hic meminerit Hieroſolymæ, qvæ tamen trecentis & triginta vel qvadraginta annis poſt Achabi tempora occupata legitur. Qvidam arbitrantur fuiſſe Præfectum illum 50, qvibus Elias pepercit 2 Reg. 1. 13. Alii faciunt ipſum unum eorum, qvos miſit Joſaphat ad docendum Judæos 2 Chron. 17,7. utráq; verò hæc ſententia plures numerat adverſarios, Patronos pauciores. Certiſſimum autem eſt, qvòd Propheta à Deo miſſus fuerit, qvódq; diligentia & fides ejus nomini reſponderit; Obadia Servus DEi, ab עבד ſervivit, & יה qvod contractum eſt ex tetragrammato יהוה, & docuiſſe creditur poſt deportationem Jehojachini, átq; etiam poſt ipſam captivitatem Babylonicam, meminit enim belli Chaldæorum contra Judæos, & captæ Hieroſolymæ.

In duas Prophetia partes dividitur. 1. Deus minatur Idumæis deſtructionem v. 1. 2. qvòd ſuperbierint munimentis v. 3. 4. divitiis, v. 5. 6. fœdera-

ratis, v. 7. ſapientia v. 8. robore. v. 9. qvod injuſtè cum fratre egerint v. 10. 11. qvod omiſiſſent. v. 12. 13. 14. ob certiſſimè iminentem gentibus & præcipuè Idumæis ultionis diem v. 15. 16. 2. Afflictam conſolatur Eccleſiam, dum liberationem, ſanctitatem, reſtaurationem v. 17. victoriam ſuper inimicos v. 18. amplificationem terminorum v. 19. 20. Servatores unà cum Rege v. 21. benigniſſimè pollicetur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

COMMENT. IN PROPH. OBADIAM.

Verſ. 1.

חזון עבדיה כה אמר אדני יה
יהוה לאדום שמועה שמענו
מאת יהוה וציר בגוים שלח
קומו ונקומה עליה ל
למלחמה:

Viſio Obadiah.) i. e. Prophetia generaliorî ſignificatu poſita. Varia enim Prophetiæ genera fuiſſe notant, Inſomnium, Ἐνθουσιασμὸν, Familiarem in os collocutionem & viſionem. Viſio חזון Græcè ὅραμα *Act.* 16. 9. 10. vel ὅρασις *Act.* 2. 17. erat Prophetiæ modus, qvô Deus alicui vigilanti vel in ecſtaſin rapto aliqvid revelavit.

 Pari

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Pari ſignificatione uſurpari hæc duo vocabula חזון & נבואה arbitrantur Interpretes, licet, ſi derivationes vocum attendimus, diſtingvantur, qvòd חזון Prophetæ divinitùs oſtendatur, נבואה autem per Prophetam hominibus pronuncietur. Qvæ in fontibus Radix habetur, ſubinde qvidem ſimpliciter de Viſione oculi uſurpatur *Pſal. 58. v. 11.* non tamen ut ראה & נבט freqventiùs, ſed ad eas potiſſimùm refertur viſiones, qvæ divinitùs modò Prophetis ipſis, modò iis, qvi aliàs Prophetæ non eſſent, offerebantur. *Mollerus in Eſ. I. 1.* hinc Prophetæ חוזים audiebant *1. Sam. 9. 9.* qvia videbant eum, qvem cæteri non videbant, ut ait *Hieronymus ad Paul:* vel ut idem habet *ad Am. 7. 12.* qvia qvæ ventura dicebant, oculis cordis intuebantur, qvomodo etiam *Theodoretus 1. Reg. qvæſt. 17. ait*, qvòd ità vocarentur ὡς τὰ μέλλοντα προορῶντες, ſtatim addens οὐ γὰρ τῶν τοῦ σώματος ὀφθαλμῶν τοῦτο τὸ ὄνομα, ἀλλὰ τῆς πνευματικῆς θεωρίας.

Sic dixit Dominus Jehovi ad Edom) Familiaris hæc eſt locutio Prophetis, aliiſq; Dei ſervis, qvâ uti conſveverunt, ut ab auctoritate Dei ipſos mittentis, & per ipſos loqventis, certitudinem

nem & fidem verbis ſuis concilient, ne, qvod loqvuntur, contemnatur. Sic dixit אָמַר. Qvantum ad uſum vocabuli differt nonnihil אָמַר dixit à דִּבֵּר ſeu דִּבֵּר locutus eſt. Nam אָמַר ſemper alteri jungitur, ſed דִּבֵּר eſt absq; conjunctione ad alterum inqvit *R. David*, qvia locutio facultatem loqvendi ſignificat, qvæ eſt in homine ex ſua origine absq; alio reſpectu: nam dicis, homo loqvitur, at non item, homo dicit, niſi adjungas alteri. Dominus אֲדֹנָי eſt unum ex Dei nominibus, ſed communibus, ſatìs enim conſtat אֵל & אֱלֹהִים, אָדוֹן & אֲדֹנָי *Eſ.* 19. 4. *Mal.* 1. 6. *Pſal.* 114. 7. Nomina Dei propria non eſſe, qvod Articulum accipiant *Gen.* 31. 13. *Num.* 22. 10. *Deut.* 10. 17. *Eſa.* 1. 25. Qvanqvam enim hoc Kametzatum Deo volunt proprium, occurrit tamen etiam de creaturis Kametzatum ſaltem cum ſuffixis *Gen.* 19. 18, *Et in Pauſa, Jud.* 6. 15. *Paſor & Leusden* vertunt Suſtentator, ab אֶדֶן Baſis, unde Arabicè Dominus, Columna populi, & Græcè βασιλεὺς, qvaſi βάσις τȣ λαȣ. Per κύριον tamen exponunt LXX, imò & Chriſtus. *Matth.* 22. 24. Sunt qvi volunt eſſe hoc vocabulum formæ ſingularis, qvomode סִינַי Jud. 5. 5. שַׁדַּי

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Gen. 16. 1. 2. 3. *&c.* Sed tutius eſt dicere, qvòd ſit Plurale, qvomodo alia *Eſa.* 19. 9. *Am.* 7. 1. *Nah.* 3. *v.* 17. Poteſt enim אדני Plurale æqvè accipi in ſenſu ſingulari ac אדנים *Gen.* 24. 9. 2 *Sam.* 2. *v.* 7. *Mal.* 1. 6. Cæterum vox אדני occurrit 134. vicibus (obſervante *Maſorâ Dan.* 9. 7.) & ab Hebræis ad exteros venit in uſum.

Jehovi & Jehova) Nomen hoc Dei proprium & eſſentiale eſt שם הנורא והנכבד *Deut.* 28. 58, & ſeparatum ab omnibus aliarum rerum nominibus, Deóq; ſoli ἀκοινωνήτως reſervatum *Pſal.* 83. 19, id qvod apparet (1) Ex perſpicuo Sctipturæ ductu, qvippe in qva eidem ſeu proprium & accommodatum pluries aſſignatur. *Exod.* 3. 15. *Eſa.* 48. 8. *Pſal.* 83. 18. *Hoſ.* 12. 5. (2) Ex nativæ derivationis ortu, (3) Ex genuinæ ſignificationis fluxu. Conſtituitur hæc vox ex ſolis literis qvieſcentibus (uti Hebræi dicunt) ad denotandum nullibi reperiri reqviem niſi in ſolo Jehova, & qvòd in illo tutò & ſecurè poſſimus reqvieſcere. Nomen hoc vulgò vocatur ἀνεκφώνητον ɔ: ineffabile, qvod vel κατὰ τὸ δυνατὸν i. e. ſecundum poſſe, vel κατὰ τὸ θεμιστὸν i. e. ſecundum debere intelligendum. Qvi negant hoc nomen efferri poſſe, caren-

rentiam punctorum propriorum potiſſimùm reſpiciunt. Nos ut non negamus Præfixa ante יְהוָה & puncta vocis יְהוָה (qvæ pluraqve operoſè *Amama Antib. perſeqvitur*) eſſe inſveta & propiora vel אֲדֹנָי vel אֱלֹהִים, ità ſimul novimus rara & anomala inveniri plurima, qvæ propterea literarum aut vocalium mutatione ad analogiam flectere non ſit licitum. An enim qvia Dageſch inſolens eſt poſt breviſſimas, ideo pro שְׁתַּיִם *Joſ. 21. 25. 27. 1. Reg. 7. 41.* legeres שְׁנַיִם. Qvale Nomen talis forma, hoc eſt eſt ſingularis, imò ſingulariſſima. Nos non audemus mutare, aut non legere, qvod Spiritus Sanctus ſcripſit, cùm ſi non voluiſſet legi, non ſcripſiſſet. Scripſit verò lege tam perpetuâ, ut יְהוָה nusqvam prope אֲדֹנָי (*Pſal. 8. 2. 10.* eſt אֲדֹנֵינוּ & non אֲדֹנָי) יְהוִה nusqvam niſi cum אֲדֹנָי. Neqve licentiam nobis ſumimus Nomen Dei proprium permutandi cum cognomine, qvod commune cum creaturis, & qvod nec eſt, nec unqvam rectè habitum fuit æqvivalens emphaſi tamglorioſi nominis. Conſonæ æqvè ac puncta ſunt divinæ originis, & idcirco non minùs qvàm puncta legenda. Breviter. (1) pro Jehova non poteſt legi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Adonai, qvia nec conſonas nec vocales Jehova habet Adonai; omnis enim vox legitur ſecundum conſonas & vocales ſuas. (2) qvi pro יהוה legunt Elohim, conſonas (materiale præcipuum) non exprimunt. Et pro יהוה צבאות *Eſa.* *3.15. Jer.2.19. Am.9.8.* tenentur dicere אלהים צבאות qvod eſt contra Analogiam Grammaticam. Qvæ in Regimine poſtulat אלהי non אלהים ut *2 Sam. 5. 10. Am. 4. 13. Hoſ. 12. 5.* Nam אלהים צבאות *Pſal.59.6. 80.5.v.15. 21. 84. 9.* eſt Anomalia. Deniq; non ſeqvitur; Puncta יהוה ſunt irregularia, Ergo vox ἀνεκφώνητος. Nam irregularia etiam illa (tam nuda, qvàm in compoſitione ſaltem irregulariter) poſſunt exprimi. Qvanqvam etiam ſub non gutturalibus (utut rariùs) Puncta ſint breviſſima, *Deut.* *21.2. Job.33.25. Ezech.4.10. &c.* & ה in יהוה tam cum Chirech poſſit qvieſcere, qvàm cum Patach in voce מה. AdEdom לאדום. Ad vel contra ſecundũ *Munſterum*, vel de, docentibus *Junio*, & *Tremellio* & *Piſcatore*, prout ל *Gen.* 20.13. accipitur ɔ: poſteritatem Edomi ſ. Eſau. Eſau cognominatus fuit Edom, non qvòd ab utero rufus prodierit *Gen.* 25.25. ſed propter edulium rufum, qvod vehe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

vehementiſſimè appetens non dubitavit, ut eô potiretur, primogenituram vendere, atq; iſtò potiùs cognomine, qvàm nomine Eſau ab Iſraëlitis vocatus fuit in memoriam ſcilicet venditionis illius, qvâ ipſe ſpontè primogeniti dignitate ſe abdicaverat, transferens eam in Jacobum fratrem, à qvo Iſraëlitæ genus ducebant. Metonymicè heic ſumitur Edom pro Idumæis poſteris Eſau, & pro Regione Idumæorum, qvæ ab Edom cognomine Eſau dicta eſt terra Edom ſeu Edomæa vel Idumæa, q. d. rubra vel rufa, Græcè ἐρυθρά, Erythræa. Unde mare Erythræum, qvod *Strabo l.* 16. *Plin. l.* 6. 23. ſic appellatum fuiſſe putant à Rege qvodam Erythra, qvem Erythram ſive Erythrum planiſſimè eum fuiſſe, qvem ſacræ literæ Eſavum nominant cognomine tandem Edomum exiſtimat *Fullerus.*

Auditum audivimus a Jehova.) qv. d. Revelatum eſt mihi & Prophetis aliis, de interitu enim Idumæorum vaticinati ſunt & Prophetæ alii, ut *Jeremias c.* 9. 26. 25. 21. 49. 7. *Ezech. c.* 25. 13. 32. 29. *Joël. c.* 3. 13. *Am. I.* 11. Per auditum igitur qvem audiverunt, intelligi poteſt decretum qvaſi a Deo pronunciatum, ſicut etiam *Jer.* 49. 23. *Hab.* 3. 2. audire dicuntur Prophetæ, qvæ alibi potiùs

tiùs videre dicuntur, unde videntes appellabantur. Et per ſermones Dei fortis audientem (שמע אמרי אל) intelligitur Propheta, cui Deus revelat conſilia ſua arcana & decreta *Num.* 24. 4. 16. שמועה deſignat tria, (1) ipſam audiendi actionem, (2) per Metonymiam ſermonem, qvi auditur ab alio, (3) rumorem & famam, cui in Græco reſpondet ἀκοὴ. Radici etiam שמע reſpondet Græcum ἀκέω, Latinum audio, habetq; horum unumqvodq; varias qvasdam, eásq; inter ſe communes, apud ſuos, notiones & ſignificationes.

Et Legatus ad gentes miſſus eſt.) *Piſcat:* nempe.) Qvemadmodum Legati à Regibus mittuntur ad gentes, qvarum operâ in bello uti volunt, ità Deus hic (confer *Jer.* 49. 24.) dicitur mittere Legatum ad gentes, qvas movere conſtituit ad inferendum bellum Idumæis, in qvos ſeveriſſimè animadvertere decrevit. Hypotypoſis eſt, qvâ futuram calamitatem qvaſi jam præſentem figurat. ut *Jer.* 4. 19. 21. q. d. excidium Idumææ inſtare certiſſimum eſt, jam enim miſſus eſt Legatus. Qvis autem ille Legatus ſit, cujus mentio injicitur, variant Interpretes; alii Angelum

lum fœderis, Chriſtum; alii Michaëlem: alii ſimpliciter de Prophetis, qvi ſunt exſecutores decreti Dei, exponunt, ut ait *Himmelius*. *Menochius* autem per Legatum intelligit ipſam motionem & concitationem, qvâ Deus Caldæos concitavit, ut bellum contra Idumæos moverent, qvæ poſterior ſententia ſuô non deſtituitur fundamentô. ציר, qvod vocabulum aliàs cardinem denotat *Prov.* 26. 14. vocatur Legatus, qvòd in eo rerum agendarum cardo vertatur, vel à צור arctavit, qvod Legati ſtrictè obſervare tenentur id, qvod in mandatis habent 1 *Reg.* 22. 14. 2 *Chron.* 18. 13. ἀγγέλου γὰρ τοῦτο ἔργον ἐστὶ, τὸ μόνα λεγόμενα διακομίζειν ait *Chryſoſt. hom.* 2. *in Epiſt. ad Rom.* Ad gentes, vel in, vel per, vel inter, Vocabulum גוי, cui in N. T. reſpondet ἔθνος, propriè ſignificat multitudinem, hominum *Eſa.* 9. 2. *Gen.* 17. 20. & videtur ità dici ab amplitudine, גאה enim eſt amplum eſſe; ſtrictè autem eos ſignificat, qvi non ſunt populus Dei *Num.* 23. 9. Ubi Iſrael dicitur habitaturus ſeorſim, non numerandus בגוים inter gentes, & intelliguntur hoc loco Chaldæi, qvi vocantur gens מעולם h. e. antiqviſſima *Jer.* 5. 15. qvæ vox Chaldæi exponitur qvaſi Vaſtatores, à ל nota ſimili-

m:litudinis & שדד vaſtare, perdere. Miſſus eſt, à radice שלח ablegavit *Prov.* 9. 3. Vocabulum hoc Hebræum & Græcum ipſi parallelum, qvod eſt ἀποςέλλω qvod plus eſt, qvàm πέμπω, ut docet *Cornelius a Lapide*, ſi vulgaria inſpicimus dictionaria & varios Scripturæ locos, deprehendimus vulgarem & ubivis obviam habere ſignificationem, ſed ſi Criticam conſulimus Scripturariam, invenies in illo interdum copioſam, ponderoſam & egregiam emphaſin, deſignare, inſtituere vel conſecrare, dare mandatum obeundi magnum aliqvod munus, ſic de miſſione Regum, judicum, Prophetarum audimus.

Surgite, & ſurgamus adverſus eum in prælium.) Per hypotypoſin heic Propheta recitat adhortationem militum, mutuam ſe ad bellum contra Edomum excitantium: adhibétq; eam Propheta ſtatim ab initio, ut ſecuros commoveat. Similem vide hypotypoſin *Jer.* 6. 4. 5. Surgite. Modus loqvendi eſt, qvô erga illos utimur, qvos ad rem aliqvam magni momenti ſedulò & maturè præſtandam adhortamur, (ſimilis Latinorum age, vel agite) *Gen.* 13. 17. *Dan.* 7. 5. *Jon.* 1. 2. Et ſurga-

gamus vel inſurgamus. קום enim cum אל vel על hoſtile eſt *Jud.* 9. 18. *Pſal.* 54. 5. & ità τό ἐγερθήσεται *Luc.* 21. 20. propriè eſt inſurget, præliabitur, bellum movebit, in qva ſignificatione vocula illa in N. T. alibi non uſurpatur. Ad prælium vel Bellum, a radice לחם propriè veſci, comedere, per Metaphoram pugnare, impugnare. Nam & gladius in bello hominum corpora devorat, denotat æqvè devorare & conſumere ac impugnare, vel conjungendo utrumq; ſignificat impugnando conſumere 2 *Sam.* 11. 25. *Deut.* 32. 24. In Kal propriè ſignificat comedere. *Prov.* 4. 17. tropicè affligere *Pſal.* 26. 2. In Niphal tantùm ſignificat præliari. *Exod.* 14. 25. *Jud.* 11. 25.

Doctrinæ.

1. *Prophetæ Dei nunqvam loqvuti ſunt, nec eorum eſt propria loqvi ſomnia, ſed qvæ à Deo ipſis injunguntur, Doctrina hæc vocatur Viſio Obadiah, docet ſcilicet Propheta, qvæ a Deo accepit per revelationem Propheticam repræſentatam ſenſibus vel intellectui.*

2. *Verbum Domini (& ſpecialiter minæ adverſus*

peccatores impœnitentes) plurimum ponderis habebit, qvando accipitur ut verbum Domini procedens à tam terribili Majeſtate, cujus imperium eſt in omnia creata, & qvæ tantum efficere poterit, ut verba nunqvam ſint inania.

3. Qvia Deo deficiunt, & cœleſtia terrenis poſtponunt, juſtè à Deo notantur infamiâ, qvæ in ipſos etiam poſteros derivatur, qvia non tantum Eſau, ſed & tota ipſius poſteritas Edom vocatur in memoriam venditæ primogenituræ Gen. 25. 29. 30.

4. Poteſtas & providentia Dei non tantum Eccleſiæ, ſed & inimicis imperat, qvi in medio hoſtium regnat, poterit Edom alloqvi.

5. Licet hoſtes Dei & Eccleſiæ non videant, qvæ ſua ſit conditio, vel qvæ ſibi infortunia immineant, Eccleſia tamen Dei minimè ignorat, qvæ mala Deus ipſis infliget, in ſanctuario qvippe & verbo Dei oſtenduntur, Nos inqvit Prophetæ, hoc eſt, Ego & coætanei Prophetæ Ezechiel & Jeremias & per noſtrum miniſterium Eccleſia Dei accepimus rumorem a Deo de Edom, hoc eſt, ſecretum Dei conſilium.

6. Utile admodum & ſalutare eſt Eccleſiæ erudiri de calamitatibus, qvæ in hoſtes irruent, hoc enim ipſo certò ſibi pollicetur præſentiſſimum auxilium Dei,

qvi

qvi hoſtes affligit, unde ſummum in adverſitatibus ſolatium naſcitur, & ſimul ea diſcit declinare peccata, qvæ Deus maximè deteſtatur, & in hoſtibus punit, hinc Propheta hic ſuſcitatus eſt, non ut in Seir, ſed in Juda de Edom vaticinetur.

7. Iuter alia, qvibus impias divina Majeſtas nationes punit, vel præcipuum eſt bellum, & hoc ipſum non caſu aliqvô infertur, ſed ſingulari providentiâ Dei in cujus manu & pax & bellum eſt, & qvi, qvando aliqvid molitur, inſtrumentis per ſe ineptis & poſſe & velle communicat. A Deo *miſſus eſt Legatus ad gentes, qvi non tantùm eas excitat, ſed & efficit, ut animent ſe invicem; Surgite & ſurgamus adverſus eum in prælium.*

Verſ. 2.

הנה קטן נתתיך בגוים בזוי אתה מאד:

Exaggeratur porro calamitas Idumæorum, qvòd ſcilicet Deus imminuere velit numerum & potentiam eorum, & extremâ ipſos inurere infamiâ.

Ecce) הנה Hebræorum, cui reſpondet ἰδοὺ Græcorum, ſemper attentionis nota eſt, & inſtar aſte-

âſteriſci ſeu Nota bene rebus ponderoſis præfigitur, & adhibetur heic a Propheta, qvòd cum judicia Dei Idumæos incautos & de illis minimè cogitantes inveniant, ob hoc ipſum digniſſima ſint qvæ obſerventur. Parvum dedi te in gentibus. Dabo te, Enallage eſt heic præteriti pro futuro, familiaris admodum Prophetis ob indubitatam vaticiniorum certitudinem; Parvus inter gentes dicitur Edom, hoc eſt, minimus gentium, deſcriptio enim eſt Superlativi per ſubſtantivum cum præpoſitione. Parvus opponitur רב, qvod vocabulum amplitudinem, auctoritatem, eminentiam & dignitatem oſtendit, dicitur ergo parvus, qvod propter varias clades ad exiguum redigendus ſit numerum, inq; extrema verſetur miſeria. Chaldæus vertit חלש ɔ: debilem ſeu infirmum, LXX ὀλιγοστόν cum paucis, paucis comitatum, qvaſi ὀλίγιστον ab ὀλέω perdo & ἄγω frango, qvæ enim parva ſunt, facili labore perduntur & franguntur.

Contemptus tu valde.) hoc eſt contemptiſſimus. מאד enim cum Adjectivis facit ſuperlativos. מאד ſubſtantivum, eſſe uſurpatum adverbialiter, patet ex conſtructione &

expoſitione per ἰσχὺς *Luc.* 10. 27. *Deut.* 6. 5. *Cocce-jus* deducit à מדד menſuravit, qvod notet commenſum & συμμέτρειαν virium & actionis: ſed non ſatis commodè, à geminatis enim ejusmodi formæ Nominum venire non ſolent. בזוי Contemptus eſt, à radice בזה, qvod verbum ſignificat qvaſi de ſublimi in rem aliqvam ſe multò inferiorem deſpicere, eámq; præ ſe nullam putare. 2 *Reg.* 19. 12. Locô hujus LXX plerúmq; uſurpant ἐξουθενέω *Eſa.* 33. 3. qvæ vox eſt ſignificantiſſima, denotans æſtimare aliqvem nullius pretii, nullo loco habere ab ἐξ & οὐδείς. Senſus ergo eſt, ad abjectam adeo redigeris conditionem, ut licèt antea caput extuleris inter gentes, ipſis jam fias inferior, imò pro nihilo habendus.

Doctrinæ.

1. *Principalis cauſa pœnarum eſt ipſe Deus, qvibuscunq; etiam utatur inſtrumentis, hinc Ego dedi te parvum.*

2. *Qvæ Deus intendit, & in verbo futura prædicit, æqvè certa habebuntur, ac ſi dudum præterierant. Dedi te parvum, pro dabo te.*

3. *Facile eſt Domino vel eminentiſſimos etiam in mun-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

mundo dejicere, & ſummè honoratos infames reddere.

4. *Singularis, qvæ populo infligitur pœna multò eundem reddit deteſtabiliorem. Eſſe enim parvum inter gentes, oſtendit Edomum non ſolum inter gentes ab Eccleſia alienas numerandum eſſe, ſed & his ipſis fore abjectiorem.*

5. *Favente Deo, in qvantum proderit, favebunt homines* Jer. 42. 12. *Deo autum iraſcente, favor horum ſubitò emoritur. Licet Edomum antea omnes ſuſpexerint, Deo jam caſtigante, nemo non aſpernabitur.*

Verſ. 3.

זדון לבך השיאך שכני בחגוי-
סלע מרום שבתו אמר
בלבו מי יורידני ארץ׃

Verſ. 4.

אם־תגביה כנשר ואם־בין
כוכבים שים קנך משם
אורידך נאם יהוה׃

Dupli-

Duplicem cladis & deſolationis obventuræ Idumæis cauſam meritoriam exhibet Propheta, Superbiam & Violentiam.

Superbiebant autem Idumæi (1) arcibus munitiſſimis, qvas Deus ſe diruturum eſſe minatur, etiamſi longè eſſent excelſiores.

Superbia cordis tui te decepit.) Superbia זדון deſcendit à זוד propriè efferbuit, per Metaphoram in Hiphil, Superbivit, arrogantem & inſolentem ſe geſſit, ipſi etiam Oceano tribuitur *Pſal.* 124. 5. LXX dicitur ὑπερηφανία ab ὑπὲρ & φαίνομαι, eò qvod eminere ſe, & cœteris ſuperiorem eſſe perſvaſum ſibi habeat Superbus. Chaldæo eſt Impietas, qvemadmodum זדון vertitur ἀσέβεια *Deut.* 18. 22. Nec incommodè, qvid enim aliud Superbia eſt, qvàm Impietas? Se ipſos enim Superbi, qvaſi Numen aliqvod adorant. Superbia cordis dicitur, vel qvòd à corde egrediatur *Marc.* 7. 22. cauſa enim Superbiæ per ſe eſt vitioſitas homini innata, vel qvòd ſubjectum Superbiæ internum ſit cor, Superbus enim cor effert & dilatat *Prov.* 21. 4. *Jer.* 48. 29. Decepit te. LXX habent ἐπῆρεσε, extulit te, ſublimem te fecit. נשא propriè ſignificat decipere, ſeducere, in-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

tenditur autem ſubinde ejus ſignificatio & ſignificat ex inſidiis & præter ſpem & opinionem opprimere, qvando ſcilicet cum præpoſitione עַל conſtruitur 2 *Reg.* 19. 25. *Pſal.* 55. 16.

Habitans in fiſſuris petrarum.) o qvi habitas! שֹׁכְנִי eſt Benoni Kal cum י Paragogico, qvod qvidem pleriq; otioſum eſſe arbitrantur. *Mercerus* verò non ſine cauſa exiſtimat in talibus firmitudinem ſeu habitum aut ſimile qvid denotari pro conditione ſubjectæ materiæ. שָׁכַן Heb. Chald. Syr. Arab. eſt habitare, & ſignificat continuationem ſtationis, hoc eſt, commorationem in loco aliqvo. *Gen.* 14. 13. Græci habent κατασκηνοῦν habitare, qvaſi in tabernaculo, nidulari, à σκηνὴ, qvod vel ab Hebræo שָׁכַן vel à σκιὰ à facienda umbra. In fiſſuris petrarum hoc loco, qvemadmodum & *Jer.* 49. 16. habitare dicitur Edom, vel qvòd regio Idumæa erat petroſa, & in illa multæ petræ ſeu rupes erant, prout incolæ Arabiæ Petrææ dicuntur יֹשְׁבֵי סֶלַע habitatores Petræ *Eſa.* 42. 11. vel etiam, qvòd arces & civitates habebant munitiſſimas, hoſtibus inacceſſas & inexpugnabiles, & ita *Pagninus* vertit, in munitionibus petræ. בְּחַגְוֵי סֶלַע ponitur heic

loci

loci ה, חגוה eſt fiſſura, *Kimki in Abdia* exponit circuitus, & ſunt qvi exponunt foramina, qvæ circularem habent rotunditatem docente *Mercero*. סלע ſignificat propriâ ſua ſignificatione petram vel ſaxum, metonymicè verò arcem vel munimentum, qvia in petris vel ſaxis munimenta exſtruuntur, ut habet *Waſerus*.

Celſitudine Habitationis ſuæ,) pro tuæ: mutatio perſonarum: in celſitudine habitationis tuæ, h. e. in celſiſſima habitatione tua. Enallage eſt & Hypallage. Enallage perſonarum pro ut בלבבה in corde ejus, pro in corde tua *Eſa.* 47. 10. ἀυτὴν illam pro σε te *Matth.* 23. 37. Hypallage qvemadmodum dicimus אור פניך lucem vultus tui, h. e. vultum tuum lucidum *Pſal.* 4. 7. ταπείνωσιν τῆς δούλης, humilitatem ancillæ h. e. ancillam humilem *Luc.* 1. 48. מרום LXX qvaſi מרים exaltans ὑψῶν, à רום evectus fuit ex loco inferiori ad ſuperiorem *Deut.* 8. 14. & exponitur per ὑψοῦμαι extollor, ſimilitudine ſumpta ab ædificiis, qvæ perfecta ſunt. שבת ſedes, habitatio à ישב, qvod ſignificat modò breviori, modò diuturniori tempore ſedere, habitare, commorari, cui reſpondent vocabula Græca κατοικέω

& παροικέω, qvæ qvidem duo apud Græcos differre arbitrantur nonnulli, ſicut apud Latinos habitare & commorari. Apud ipſos Græcos communiter qvidem κατοικέω ſignificat diuturniorem qvandam manſionem, ſed apud Helleniſtas, qvorum dialectum Scriptura imitatur, indifferenter uſurpatur pro manſione vel breviori, vel diuturniori h. e. tam hoſpitari, qvàm habitare. Conf. 1 *Reg.* 17. 20.

Dicens in corde ſuo,) hoc eſt, ſecum cogitans ſibi perſvadens, eſt enim ἡ διάνοια διάλογος ψυχῆς ἄνευ λόγου notante *Beza*; & idem, qvod dicere in corde, ſignificat dicere apud ſe, vel intra ſe, itèm illud *Luc.* 12. 29. ἔρειν τῇ ψυχῇ σου, dicere animæ ſuæ.

Qvis deſcendere faciet me terram,) h. e. qvis dejiciet me in terram, LXX τίς κατάξει με ἐπὶ τὴν γῆν. Dejicere aliqvem in terram eſt redigere ad miſerrimam & abjectiſſimam conditionem, metaphorâ ſumptâ ab arbore, qvæ dejecta eſt *Ezech.* 19. 22. יורדני eſt a radice ירד deſcendit, dicitúrq; de inferiori conditione, ſervitute & ſubjectione, ſicut verbum contrarium עלה, aſcendit ad dominium refertur. Græcorum κατάγειν deducere ſignificat κάτω ἄγειν. ארץ propriè deno-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

denotat terram, per Metaphoram autem, qvod eſt inferius, humile, imum, ſicut terra eſt infimum elementorum *Pſal.* 139. 15. deducitur à nonnullis à רצע calcare, qvod pedibus teratur, ſicut terra à terendo dicitur; huic reſpondet γῆ, qvæ vox etiam pro vili ſumitur *Joh.* 3. 31. Senſus ergo eſt cujus tantum erit dominium, ut me dignitate & gloriâ privet, meáſq; arces munitiſſimas ſolo æqvet?

Si exaltares velut Aqvila) Audiat Edom, qvid vanæ ipſius cogitationi Deus reſpondeat, Si exaltares *Vatablus* ſupplet, locum tuum; Sed hoc ſupplemento non opus eſt. Vulgatus legit, Si exaltatus fueris. LXX ἐὰν μετεωρισθῇς. Radix גבה propriè ſignificat eminuit, elatus fuit, metaphoricè ſuperbivit 1 *Sam.* 10. 24. redditur ſæpe ab Interpretibus per ὑψηλὸν ποιέω, hoc loco μετεωρίζομαι, Sublimis ſum, metaphoricè ſuſpenſo animo ſum *Luc.* 12. 29. Qvia μετέωρος græcè non eum modò ſignificat, qvi poſitus eſt in ſublimi, ſed etiam à conſeqventi ſignificat eum, cujus animus velut in aëre ſuſpenſus modò huc, modò illuc inclinat; commodè ergo de Superbia Edomi intelligitur, ac ſi diceret ſi ad altiſſima aſpirares. Si ergo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

te extuleris velut Aqvila, qvæ nidificare ſolet in locis altiſſimis *Job. 39. 27.* נשר Aqvila ita dicitur, vel qvòd teſte *Plinio l.* 10. *c.* 3. recto obtutu ſolem intueatur, & tum congruentiam habet cum verbo שור intendit oculos & viſum, vel qvòd volatum rectà in prædam dirigat, atq; ita communicat cum verbo ישר rectà contendit. Græcè ἀετός ſecundum nonnullos παρὰ τὸ ἀΐσσω impetu feror, ſecundum alios ab α & ἔτος annus, qvod ſit vivacior.

Et ſi inter ſtellas poneres nidum tuum) h. e. ſi aſcenderis in locum altiſſimum, in montes, qvi videntur cœlos attingere, confugeres, ut *Bibl. Norim.* exponunt. Ponere enim nidum inter ſtellas, idem eſt, qvod in excelſo. *Hab.* 2. 9. qvod in ipſis cedris *Jer.* 22. 23. כוכבים ſtellæ, à כבה, qvod minimè exſtingvantur, ſed lucernæ ſint ſemper ardentes, accipiuntur heic metaphoricè pro loco altiſſimo & editiſſimo, qvia cœlum, in qvo ſunt, eſt locus altiſſimus, hinc ſupra ſtellas Dei fortis exaltare ſolium ſuum, *Eſa.* 14. *v.* 13. eſt gloriam cœleſtem átq; adeò plusqvam humanam obtinere. Si poneres nidum tuum, hoc eſt ſi ſumma cura & ordine & arte ædificares. שום enim ſignificat non ſimpliciter ponere, ſed ponere arte,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

arte, curâ & ordine. קן Nidus domicilium avis *Pſal. 84. 4.* metaphoricè ſumitur pro qvavis habitatione vel domicilio ſive brutorum *Gen. 6. 14.* ſive hominum *Job. 29. 18.*

Exinde deſcendere faciam te) tamen inde deturbarem, deturbaturus eſſem. משם Exinde, שם eſt adverbium loci remoti, longingvi ſeu longè diſtantis, inde שמים cœli, qvia à terra remotiſſimi.

Dicit Dominus) נאם dictum indubitatum, nomen eſt participiale, commune in Prophetarum exordiis vocabulum, pérq; præſens Indicativi dicit vulgò redditur, ſic & *Targum* exponit per אמר dicit, & LXX per λέγει. Sunt qvi hoc exiſtiment expreſſum per illud Pauli πιςὸς ὁ λόγος, qvod præponere ſolet rem certam & indubitatam aſſerturus, vel aſſerens, qvod dixit.

Doctrinæ.

1. *Proſperitas & externa felicitas impios ſuperbos reddit & blaſphemos in Deum. Edom enim, cujus habitatio eminuit, Superbit dicitq; in corde, Qvis me dejiciet? cum tamen pii in media felicitate pauperes ſunt, Deóq; unicè fidunt.*

2. Su-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

2. Superbiam hominis dijudicat Deus non tam ab exteriori habitu, qvippe qvi ſubinde humilitatem mentitur, ſed potiùs à vanis, qvæ in corde dominantur, opinionibus. Ea enim Dei eſt omniſcientia, ut ſuperbiam cordis Edomi videat.

3. Decipiuntur qvidem ſæpiſſime homines, à nemine tamen graviùs, qvàm a ſeipſis, qvando ſcilicet ſeipſos vanis ſeducunt perſvaſionibus. Superbia cordis tui decepit te.

4. Qvamvis Superbia plurima promittat, qvò ſecuros minarum divinarum contemptores reddat homines, decipit tamen & vana ſolummodo ſpe lactat, & ad ultimum fallacia ipſius eluceſcit, cùm qvæ promiſit, ut ſummè neceſſaria, reqviruntur.

5. Superbiam Creaturarum Deus intuetur ut hoſtem, qvi gloriæ ipſius inſidiabitur, ipſúmq; de throno dejicere laborabit, & proinde, ſi alia non eſſet cauſa deſtructionis, provocat hæc ipſa Deum, ut ſuam oſtendat potentiam. Hinc ſuperbæ Edomi qvæſtioni, Qvis me dejiciet? hæc ſubjungitur reſponſio, Ego te deturbaturus ſum.

6. Ea Dei eſt omnipotentia, ut nulla vel fabricari, vel fingere firma adeò munimenta poſſint homines, qvæ non facillimè dejiciat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Verſ. 5.

אם גנבים באו לך אם שדדי
לילה איך נדמיתה הלא
יגנבו דים אם בצרים באו
לך הלא ישאירו עללות:

Verſ. 6.

איך נחפשו עשו נבעו מצפניו:

Superbiebant (2) Opibus in uſum belli repoſitis, minatur autem Deus ſe iis eos eſſe exuturum, etiamſi in abditiſſimis repoſitæ eſſent conclavibus. Alii aliter hæc verba exponunt. *Vatablus* expônit hoc modo: numqvid fures ingreſſi ſunt ad te? &c. ſubaudi imparatum, nec tale qvid cogitantem, q. d. non. Nam venient contra te hoſtes, ad qvos miſi Legatos, qvi non imparatum offendent, ſed apertô Marte tecum congredientur, & non tamen iis reſiſtere poteris, qvomodo ergo exciſus es? *Piſcator* verba ſuo loco relingvit, Parentheſi autem includenda cenſet verba illa, qvomodo exciſa es? ad ſignificandum qvaſi affectum condolentis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Simpliciſſimè ſic expoſuerimus, Si fures venerint tibi, ſi Vaſtatores noctis, qvomodo tu Edom exciſus fueris? annon furabuntur ſufficientiam ſuam. Annon furari aliàs ſolent, qvantum ipſis ſufficit, ſi Vindemiatores venerint tibi, annon relinqvent, relingvere ſolent, racemos, q. d. ſecus autem tecum agetur.

Si fures venerint tibi.) גנבים fures, qvi occultè & doloſè furantur, Radix enim גנב ſignificat rem alienam, inſciô Dominô adeò tectè auferre, ut non animadvertatur docente *Chemnitio*, *Gen.31.19.* uſurpaturq; de Abſalone, qvi auferebat corda Iſraëlitarum. *2 Sam.15.6.* Redditur à LXX κλὲπτω qvaſi καλύπτω abſcondo, Hinc Danicam Stiele videtur deſcendere à Græco στέλλω, στέλλομαι ſubduco me, ſolent enim fures ſe ſubducere, qvando furati ſunt.

Si vaſtatores noctis.) Atrocius eſt hoc genus furum, ideóq; graviùs à Romanis puniti ſunt. Vaſtatores nocturni, prædones, qvi noctu prædantur, & raptim auferunt ea tantùm, qvæ occurrunt ipſis ad manum. Vaſtatores à שדד qvæ vox docente *Kirchero*, generaliter ſignificat in univerſum permeare, ſive in bonum, ſive in

malum, hoc eſt, in univerſum dare vel adimere, ubertim vel affluenter dare, vel vaſtando & depopulando diripere; à *Pagnino* autem vertitur rapere, Spoliare, deducitur à *Schindlero* à שׁוד vaſtavit, à *Ludovico de duce* ab Arabico שׁאד dominatus eſt. λῃστὴς Latro dicitur vel à λεία præda, vel à λήθω lateo, latenter enim inſidiantur, & latebras qværunt, hinc dicuntur à Propheta Vaſtatores noctis. לילה Nox cum ה Paragogico pro ליל Nox obſcuriſſima mutuatur ſignificationem à ילל in Hiphil הילִיל ululavit, qvod noctu audiantur ululatus beſtiarum in locis vaſtis & deſertis.

Qvomodo exciſus fueris?) איך qvomodo. Hæc particula habet hôc locô, ut & commate ſeqventi vim deplorandi, nonnunqvam aliàs habet vim Negandi, *Gen. 44. 34.* Admirandi *Ezech. 26. 17.* Expoſtulandi *Jud. 16. 15.* נדמיתה Exciſus fueris, Radix דמה congruit ſignificatione cum דמם & ſignificat ſilentium & qvietem non ſolùm ſermonis *Joſv. 10. 12. 13.* Metonymicè exciſus, vaſtatus fuit, Exciſi enim conticeſcunt, inq; locîs devaſtatis ſilentium eſt. *Eſa. 15. 1. Pſ. 115. 17.*

Non furabuntur ſufficientiam ſuam)

הלוא Vulgò diciter vehementer aſſeverare, qvaſi qvis dixerit certiſſimè. Sed penitius introſpicienti occurrunt & alia & præter הלא veritatis ſignificationes Interrogativæ. *1 Reg. 11.* Negativæ *Pſ. 94. 9.10.* de qvibus illud non poteſt ſtatui. די ſufficientia, ſatis. Hinc Deus שדי qvaſi שדי qvi ſufficiens vel ſufficientia. Unde *Coccejo Job 6. 4.* Omniſufficiens, Græc. αὐτάρκης: qvod noſtri non egeat, ſed ſufficiat ſibi de ſe ipſo, & ex immenſis ſui ipſius bonis. Hebræum די Græci Interpretes per ἱκανὸν reddiderunt, ut heic & *Lev. 5. 7. 12. 8. 25. 28. 2 Par. 30. 3.* Vocem etiam שדי reddiderunt Græci, ἱκανὸν *Ruth. 1. 20. Job. 21. 15. 31. 2.* ἱκανὸς propriè ſignificat aptum ſeu idoneum, & interdum ſufficiens.

Si Vindemiatores venerint tibi.) Clementius indigitat genus militum, qvi non avidè, nec ad necem omnes exqvirunt, hoſtes, qvi non ad cladem inferendam irrumpunt, ſed ut fruges corradant. Metaphora a Vindemiatoribus, qvi cùm uvas colligunt aliqvas relinqvunt *Deut. 24. 21.* Sic Madianitarum cædes, qvam multi effugerant, Vindemia appellatur *Jud. 8. 2.* reliqviarum verò occiſio, racematio. Et ſuperſtites è gladio

dio racemis poſt vindemiam relictis comparantur. *Eſa.* 17. 6. 24. 13. בצרים Vindemiatores a בצר abrupit, decerpſit, propriè uvas & fructus, vindemiavit, (1) abſolutè minutum, deſtitutum fuit, indiguit. *Lev.* 25. *v.* 5. *Jud.* 9. *v.* 17. (2) Pihel בצר contra rapinas munivit, ut ſit ſignificatio ſuperiori contraria per Antiphraſin, aut dicitur de urbibus, qvæ muris includuntur, ut uvæ in cophino *Eſa.* 22. 10. Octo vicibus tantum legitur in Scriptura ſacra *Jer.* 49. 9. *Ob.* 1. 5. *Deut.* 24. 21. *Levit.* 25. 5. *Jer.* 6. 9. *Pſal.* 76. 13. Inde Bozra *Eſ.* 63. 1. Metropolis Idumeæ, cum vinetis ac vini proventu celebris fuit, nomen iſtud à vindemia ſortita eſt.

Non relingvent racemos?) à שאר qvod in Kal ſignificat Relinqvi ex alio, remanere, ſupereſſe, *Ezech.* 9. 8. *Gen.* 42. 31. in Hiphil Relinqvere. *Num.* 21. 35. עללות eſt plurale tantùm ab עלל pihel עולל molitus fuit, ſed ſtudioſè, in malum dehoneſtavit, contempſit, *Thren.* 1. 22. *Pſal.* 142. 4. Racemavit *Lev.* 19. 10. *Deut.* 24. 21.

Qvomodo inveſtigata fuerint Eſavi?) Id eſt, ea qvæ ſunt Eſavi ɔ: poſterorum Eſavi, נחבשן à חפש eſt ſcrutari, inqvirere;

 Pu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Putant nonnulli hoc verbum idem pene valere cum חשׂף literis tranſpoſitis, nudare, & qvia res ſcrutando deteguntur, ſumi hoc verbum pro ſcrutari. Græci habent ἐξερευνάω, ex ἐρῶ qværo, & ἐυνὴ cubile, metaphorâ ſecundum nonnullos ſumptâ a ſagacitate canum, ut ſignificet ſagaciter aliqvid inqvirere, & è latebris eruere: ſed præſtat à metallis metaphoram ſumptam dicere, in eo enim ſenſu Verbum ἐρευνᾷν & ἐξερευνᾷν à LXX uſurpatur.

Eſau dicitur ab עשׂה, hoc eſt factus, vel perfectus, aut paratus, qvoniam perfectè pilis ornatus, puerorum inſtar, qvi ætate ſuâ maturi ſunt, natus eſt.

Perqviſita fuerint abſcondita ejus?) qvomodo perqviſita fuerint. נבעו à בעה qvæſivit, eruit, qvod latebat, *Buxtorphius* ebullivit, & ex uſu Chaldaico qvæſivit, rogavit, LXX habent καταλαμβάνω, qvod ſignificat præter opinionem & cum qvadam violentia deprehendere, docente *Chemnitio.* מצפניו, à צפן Occultavit, repoſuit *Job.* 10. 13. *Prov.* 27. 16. Occultavit qvemadmodum polus Auſtralis terrâ interpoſitâ occultatur, ut à nobis conſpici non poſſit, congruit

gruit cum verbis ספן צפה שפן. LXX habent κρὺπτω, metaphorâ ab iis ſumptâ, qvi caput occultant.

Doctrinæ.

1. Qvæ ab impiis corraduntur opes, tantùm abeſt, ut die iræ poſſeſſoribus proſint, qvin potiùs rapacibus hoſtium manibus exponantur. Inveſtigata ſunt Edomi abſcondita.

2. Pœnæ, qvæ hoſtibus Eccleſiæ infliguntur, non ſunt ordinariæ, hinc ſpoliabitur Edom, non ordinariè, qvomodo fures & vaſtatores noctis ſpoliare ſolent, qvi non omnia auferunt, ſed qvantum ſuffecerit, aut qvomodo vindemiatores in vineis uvas decerpunt, qvi vel ſecundum legem Lev. 19. 10. *vel qvia non omnes vident, qvasdam ſupereſſe patiuntur. Inveſtigata ſunt Eſavi, & perqviſita ejus abſcondita.*

3. Licet impavidi & ſine ſenſu audiunt Dei minas impii, certè pœna, ubi infligitur, veternum excutiet, hinc Exclamatio, Qvomodo exciſus es? qvomodo perqviſita Eſavi? non Dei vel Prophetæ ejus commiſerationem qvandam indigitat, ſed oſtendit mala, ubi ingruerint, attonitos timidósq; redditura eſſe maleficos.

על

Verſ. 7.

עד הגבול שלחוך כל אנשי בריתך השיאוך יכלו לך אנשי שלמך לחמך ישימו מזור תחתיך אין תבונה בו:

Verſ. 8.

הלוא ביום ההוא נאם יהוה והאבדתי חכמים מאדום ותבונה מהר עשו:

Superbiebant (3) auxilio Confœderatorum & ſpecialiter Ægyptiorum, qvibus commodiſſimum fuiſſet finitimis Idumæis adverſus Chaldæos auxiliari. Sed minatur DEus Edomæos ab illis non tantum deceptum, ſed & læſum iri.

Usq; ad terminum dimiſerunt te Omnes Viri fœderis tui.) Ad terminum ſuum vel Regionis ſuæ. גבול à גבל terminavit, terminum conſtituit, finium terminus fuit. *Deut.* 19. 14. *Zach.* 9. 2. *Joſv.* 18. 20. *Exod.* 19. 12. LXX red-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

reddiderunt per ὁείζω Termino. *Num.* 34. 6. *Joſ.* 13.27.25.11.18.19. per ἀφοείζω ſegrego *Exod.* 19. 12. 23. & διοείζω *Joſ.* 15. 47. dimiſerunt, dimittent, & ſic deinceps, comitabuntur te ſplendidè & pompoſè. שלחוך à שלח Miſit, emiſit, dimiſit. Emphaſin habet hoc verbum in Conjugatione Pihel, atteſtantibûs Hebræîs. Non enim ſimpliciter emittere & dimittere ſignificat, ſed ſic, ut nunqvam ſis recipiendus, ut *Gen.* 3. 25. Unde & idem Verbum uſurpatur in Lege, ubi de repudiante uxorem mentio fit, ut *Deut.* 24. docente *Fagio.* Omnes Viri fœderis tui ɔ: Omnes tui confœderati. כל Omnis, Univerſus, utriúsq; generis & numeri. Qvamvis propriè apud Hebræos ſit univerſalis nota, interdum tamen per Catachreſin eſt Particularis, & aliqvem aut ullum ſignificat, qvando vel Adverbium negandi præcedit, vel ſeqvitur, ut *Exod.* 20. 4. *Jud.* 19. 19. Viri ab אנש, qvod ſignificatione congruit cum יאש ענש & ſignificat rem vel perſonam malô aliqvô adeò obrutam eſſe, ut de incolumitate ipſius deſperetur, inde אנוש homo miſer, qvemadmodum Latini mortalem pro homine dicunt, ſed hæc ſignificatio eſt tantùm vocis ſingularis, in plurali enim

 אנשים

אנשים homines in genere & Viros etiam præclaros notat. *Eſ. 5. 22. Gen. 6. 4.* docente *Glaſſio.* LXX habent ἄνδρες, qvo nomine inſigniuntur ἀνδρεῖοι fortes, magnanimi, & non ex vulgo, ſed omnes, cujuscunq; ſunt gèneris, ἄνθρωποι vocantur. ברית fœdus vel à ברה Elegit, qvia eliguntur perſonæ inter qvas, & res ac conditiones propter qvas fœdus initur, vel à ברא cædendo, qvia in fœderibus pangendis victimæ cædi ſolebant *Gen. 15.* 10. vel à ברר declarando, propterea qvod ipſum fœdus, natura, leges ac conditiones ejus debeant omnibus confœderatis declaratæ & manifeſtæ eſſe. Potius autem videtur deſcendere à prima voce ברה ſignificante etiam comedere, nam moris erat inter Hebræos & Orientales ſancire fœdera, eáq; rata & firma habere cibum & potum invicem capiendo. LXX dicitur διαθήκη, qvod idem in lingva Helleniſtica eſt, qvod συνθήκη, fœdus inter aliqvos ſancitum, dicitur à διατίθεμαι, qvod verbum eſt valde Emphaticum, qvippe qvod habet ſignificationem primò pactionis & conventionis, ſecundò teſtamentalis diſpoſitionis. *Act. 3. v. 25. Heb. 8. 10. 9. 16. 17. 10. 16.*

Deceperunt te, prævaluerunt tibi

viri pacis tuæ) deceperunt te השיאוך à נשא decipere vid. v. 3. Prævaluerunt יכלו à יכל qvod ſignificat (1) poſſe, potentiorem eſſe, prævalere *Jer.* 3. 5. (2) Suſtinere ὑποφέρειν. *Job.* 4.2. ferre ἀνέχειν *Eſa.* 1. 14. LXX h. l. habent δύναμαι, qvod vel à δεινὸς validus peritus, vel à δύνω ſubeo, qvod validus laborem & onera qvaſi ſubeat.

Viri pacis tuæ.) Sic *Eſa.* 38. 22. qvi pacem tecum coluerunt. שלום Pax, qvam Hebræus ſermo conſenſum, concordiam ſeu integritatem vocat, eò qvod pax ſit partium inter ſe diſſidentium compoſitio & redintegratio. Sic Græcorum εἰρήνη dicitur παρὰ τὸ εἰς ἓν εἴρειν in unum connectendo. Radix שלם (1) Integer, perfectus fuit. *Gen.* 15. 16. *Gen.* 41. 35. (2) Pacificus, concors fuit, conſenſit, ſalvus fuit; pacem & concordiam habuit & aluit. *Pſal.* 7. 5. *Job.* 20. 21.

Panis tui ponent vulnus ſubter te.) Panis tui, repetendum nomen Viri, Viri panis tui, qvi comedunt panem tuum. Qvidam eodem ſenſu ſupplent, comedentes panem tuum, ɔ: convictores tui. לחם & hinc לחום omnis eſca, victus, epulum, convivium, *Pſal.* 14. 4. *Num.* 14. *v.* 9. qvicqvid dentibus inciditur, κατ' ἐξοχὴν panis,

 ci-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

cibus hominis præcipuus & qvotidianus *Gen.* 14. *v.* 18. per metonymiam fruges, frumentum, hordeum, triticum, ex qvo panis conficitur. *Eſa.* 28.28.

Ponent vulnus ſubter te: Amplificatio eſt miſeriæ & calamitatis Edomiticæ, dum fœderati & ſocii hoſtes facti vulnus augerent potiùs, qvàm ſanarent. מזור ſignificat propriè vulnus aut apoſtema ſive latens ulcus, qvod in interioribus ſenſim generatur, & cibis in ſtomachum ingeſtis qvotidie alitur átq; augetur; dicitur autem à זור comprimere, exprimere, vel qvod faſciîs obligatur, vel qvod frangi diduciq; ſolet vulnus, qvò pus extrahatur. *Piſcator* exponit de diſſidio. LXX habent ἔνεδρα inſidias. *Vatablus* explicat: ponent plagam ſeu vulnus ſub te, i. e. infligent tibi imparato nec opinanti. *Tarnovius*: Imponent vulnus loco tuo vel ſubter te, i. e. clam te, erunt tibi exitio, ſed per fraudem & technas. Significat etiam מזור curationem vulneris, inde qvidam vertunt emplaſtrum ſuper te ponent, qvod exponunt, prodent te, ſpecie curandi vulneris, tegent falſis perſvaſionibus & extenuabunt tuum periculum, tua interim conſilia explorantes, ea poſtmodum hoſti prodent.

Non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Non prudentia ei.) Superbiebant Idumæi (4) Prudentia ſuâ, ſed perditurum ſe eam minatur Deus. Varii variè hæc verba exponunt. *Piſcator*: non prudentia ei, circa qvod non erit prudentia, i. e. nemo intelliget, unde ortum ſit illud diſſidium. *Tarnovius*: & tale vulnus, cujus nulla intelligentia in Eſavo, qvod ipſe, cum moliuntur hoc inferre σφαλεροὶ σύμμαχοι, nondum intelligit aut proſpicit, ſed, ut piſcator ictus, demum ſapit. Qvi מזור interpretantur emplaſtrum ſeu curationem vulneris, hôc modô exponunt, cui emplaſtro non erit prudentia, qvod nullla cum prudentia conjunctum eſt, i. e. imperitè applicatum, ut ſignificetur malis amicorum conſiliis Edomum everſum iri. Arridet autem maximè *Vatabli* expoſitio, qvi mutationem perſonæ ſtatuit, in eo. i. e. in te, nulla erit prudentia in te, pro, in tractandis rebus bellicis, תבונה prudentia vel à בין radicali dictione ſecundùm *R. David* ex qva fit verbum in Kal בן qvod eſt intelligere, vel à בון Hiphil הבין intelligentem fecit, erudiit, abſolutè, intellexit, dijudicavit. 1 *Sam*. 3. 8. *Pſal.* 58. 10. Significat propriè intrinſecus mente conſiderare, & animum certâ diſpoſitione, diſtinctione

ne & judicio intendere, docente *Mercero*. LXX habent σύνεσις à συνίημι intelligo, qvod non ſignificat ſimplicem agnitionem, ſed qvæ cum deliberarione conjuncta eſt, ut cum architectus de ædificanda domo conſultat; ſicut *Exod.* 36. 1. Artificibus tribuitur, qvi erant gnari. Emphaſis verbi Græci eſt ſimul mittere, cum ſcilicet is qvi audit, mentem ſuam ſimul mittit cum ſermone, qvem audit, ut pari qvaſi paſſu incedant. Tum autem cum ſermone mittitur mens, cum illum intelligit aut ſaltem ad eum attendit.

Annon in die illo (dictum Jehovæ) ביום ההוא Per Synecdochen heic, qvemadmodum *Eſa.* 4. 1. intelligitur tempus diebus conſtans, tempus certum; יום aliàs eſt (1) Dies Naturalis *Am.* 4. 4. *Eſt.* 4. 16. (2) Artificialis ubi nomen noctis ſubjungitur *Gen.* 1. 5. (3) Annus, qvi diebus integris conſtat apud Judæos. *Gen.* 24. 55. dicitur autem à tumultu, ſtrepitu & commotionibus, qvæ tum excitantur; ἡμέρα reſondet Hebræo, & dicitur ab ἥμερος manſvetus, cicur, nam attribuitur animalibus manſvetis: vel ab ἱμείρω deſidero, nam deſiderabilis eſt; vel qvaſi ἡλίου μοῖρα.

Et perdam Sapientes ex Edom.)

Enal-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Enallage eſt Præteriti pro futuro, Radix אבד periit, interiit, omnimodam rei perditionem infert, & propterea generationi opponitur, & talem ſignificat perditionem qvæ inferno ſolet conjungi. *Prov.* 15. 11. 27. 20. LXX habent ἀπόλλυμι, qvod Emphaſi non caret, non enim tantùm ſignificat interficere, ſed etiam funditus perdere, ut memoria nominis & doctrina ſimul exſtingvatur *Act.* 22. 1. 2 *Tim.* 4. 16. 1 *Pet.* 3. 15. adeò itáq; exſtirpabuntur Sapientes, ut memoria eorum & præcepta planiſſimè emoriantur. Per Sapientes intelliguntur Gubernatores Reipublicæ, Metonymia eſt adjuncti, qvalis *Jer.* 18. 18. Erant autem illi Sapientiæ nomine celebres, ut apparet ex *Jer.* 49. 7. חכם Sapiens eſt, qvi habet rerum ſive divinarum ex verbo Dei ſive humanarum cognitionem, à חכם Sapuit, doctus, eruditus fuit.

Et prudentiam de monte Eſavi) ɔ: & prudentes ſive intelligentes, ut ſit vel Metonymia formæ, vel Ellipſis, & prudentiæ ſc. Viros de Monte Eſavi i. e. de terra Eſavi, uſurpatur הר pro terra ſeu regione Idumæorum, qvæ montibus abundabant. Propriè הר (unde ὄρος) denotat montem à feſtinantia, qvia feſtinus deorſum fertur,

tur, átq; etiam fontes & flumina præcipitat, metaphoricè autem res altas, excelſas, ut cœlos *Pſal.* 18. 8. perſonas magnas, ut Reges, Magnates fortes *Mich.* 6. 1. 2.

Doctrinæ.

1. *Peccato hominis vel Nationis ut plurimùm reſpondet pœna. Qvod Edom fœdus cum fratre ſancitum fregerat, idcirco fœderati ejus ipſum decipient, infeſtabúntq;.*

2. *Cumulus augetur doloris, cum eos, qvi amicitia nos comprehendere videbantur, videmus à nobis alienatos in ærumnis noſtris, illisq; gaudere & nobis inſultare.*

3. *Deus efficere poterit, ut vel intimi etiam amici & fœderati, qvibus confiditur, exitium peccatori moliantur. Viri pacis prævaluerunt.*

4. *Non providi ſunt, qvi impiis confœderatis confidunt, & ſe ope illorum tutos fore ſperant, fit enim, ut ab ipſis fallantur, cum ſibi ipſis tantummodo, ejus farinæ homines proſpiciant.*

5. *Ubi Deus juſtam hominibus pœnam infliget, prudentia & ſapientia eorum illam non amolietur: Ille Sapientia privare poterit Sapientiſſimos, ut pruden-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

dentiſſima eorum conſilia, meram redoleant inſaniam. Edom enim ſapiens fuit, & conſultiſſimum duxit cum multis fœdus inire, ſed tamen non eſt in eo prudentia, cùm fallaciam fœderatorum videre neqveat.

6. *Vel optima qvæq; naturæ fortunæq; dona, ſi iis confiditur, incommodant. Sapientia celebris erat Edom, ubi autem hac nititur, Sapientes ex Edom perduntur.*

7. *Et Sapientia & qvæ reliqva homini conceſſa ſunt bona, Dei ſolius dona ſunt omnia, eáq; pro lubitu, & largitur & aufert, prout ipſi vel evehere vel vel deprimere placuerit. Ille enim Sapientes perdit, ubi vult.*

8. *Qvæ in Verbo Divino impiis denunciatur, pœna certiſſimè infligetur, ubi hora Dei venerit in die illo, ſc. calamitatis, annon perdam ſapientes inqvit Dominus.*

Verſ. 9.

וחתו גבוריך תימן למען יכרת
איש מהר עשו מקטל׃

Superbiebant (5) potentiâ & robore, erant enim robuſtiſſimi & gladiô ſuô vivebant, h. e. vitam

inqvietam agebant, & fines ſuos armis tueri cogebantur, ſecundum prædicationem *Gen.* 27. 40. Cæterum qvàm fruſtrà robori & viribus confiderint, oſtendit Deus, dum minatur attonitos fore etiam fortiſſimos & incolas regni eorum univerſali cæde mactandos eſſe; familiare enim erat Chaldæis victoribus nemini parcere. 2 *Reg.* 24. 15.

Et timebunt Robuſti tui Theman.) h. e. Theman, Theman pro Poſteris Themanis, qvi nepos fuit Eſavi ex Eliphaſo *Gen.* 36. 15. à qvo denominata eſt Theman civitas Idumææ *Ezech.* 25. 13. Metonymia Efficientis. Et timebunt וחתו à חתת propriè contritus, attritus fuit corpore, metaphoricè cum ad animum refertur, territus fuit, & ſignificat abjectionem animi præ metu. LXX habent πτοεῖσθαι, qvod ſignificat terrore percelli ob rem aliqvam & metuere, & uſurpatur *Luc.* 21. 9. de terrore proveniente ex bellis & commotionibus. Robuſti à גבר valuit viribus, virtute, auctoritate; Unde Latinorum guberno, & Græcorum κυβερνάω ſunt enim γ & κ literæ unius organi, & proinde inter ſe facilè permutabiles: apud LXX dicuntur Robuſti μαχηταὶ pugnantes, ſicut 2 *Par.* 14. 18. πολεμισταὶ bellatotes.

Ut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Ut excidatur vir de monte Eſau ab occiſione.) Sic qvidam exponunt, ut ſignificet eventum illius timoris Robuſtorum. Alii verò exponunt Cauſaliter, propter qvod excidetur unusqvísq; de Eſau ob multam ſtragem. Piſcator per occiſionem. Ut excidatur יכרת à כרת ſcidit, amputavit, ſicut ramus abſciditur ab arbore 1 *Sam.* 31.9. Significat qvid amplius, qvàm cadere, indigitátq; exciſionem ſeu abſciſſionem aliqvam, qvæ fit vel morte, vel excommunicatione, vel aliâ qvâdam abolitione, ità ut res antea in uſu poſtea ceſſet. LXX habent ἐξαίρω aufero, aliàs καθαιρέω deſtruo *Zach.* 9.6. ἀφανίζω deleo *Exod.* 8.9. איש Qvísq;, qvilibet, LXX ἄνθρωπος, aliis locis ἕκαστος 1 *Par.* 16.43. מקטל *Piſcator* vertit per occiſionem, ut LXX διὰ τὴν σφαγὴν, rectiùs ab occiſione מ truncatum ex מן per Apocopen literæ últimæ, compenſatæ in litera ſeqvente capace per dageſch, in non capace per Zere, קטל à קטל cæcidit, mactavit, qvod qvater tantùm in contextu Hebraico occurrit, Chaldæum magis qvàm Hebræum.

Doctrinæ.

1. Vanis adeò nituntur præſidiis impii, ut ab iis planè divelli ſe neqvaqvam patiantur, ſed ubi unum defecerit, ad aliud confugiant. Horum Edomo autem heic oſtenditur vel ultimum qvod qværebat, aſylum, potentiam ſcilicet & robur neqvaqvam fore profuturum. Timebunt robuſti tui Theman.

2. Infelicem habent temerariæ confidentiæ exitum, qvi viribus & robori confidunt; terror enim Dei, qvi inimicos ejus perturbat Job. 9. 34. vel robuſtiſſimos qvôsq; timidos & meticuloſos reddet. Timebunt.

3. Prout terror, qvô populus afficitur, prodromus eſt ut plurimum magnæ deſolationis; Timebunt & ita ubi Deus terram aliqvam vaſtabit, nihil planè dabitur, qvod impediet. Hinc timebunt Robuſti, in eum ſc. finem, ut qvisq; excidatur.

Verſ. 10.

מחמס אחיך יעקב תכסך
בושה ונכרת לעולם׃

Ad alteram jam cauſam exitii meritoriam provehitur Propheta, Violentiam ſcilicet in fratrem Jacobum, eámq; demonſtrat primò in gene-

re,

re, & appoſitâ pœnâ, ut ex hujus gravitate de criminis immanitate conſtaret.

Propter Violentiam fratris tui Jacob) חמס Significat injuriam illatam violentiâ qvadam, ut rapinam, violationem juſtitiæ unde, & תחמס Vultur vivens rapto. *Lev. 11. 10.* Sumitur tàm activè pro rapina, qvam qvis facit, qvàm paſſivè pro rapina, injuria & probro, qvod qvis patitur: apud LXX ſonat ἀδικία, qvod Vocabulum denotat iſtiusmodi injuſtitiam, qvæ conjuncta eſt cum damno & injuria proximi. Violentia fratris, hoc eſt, Violentia & injuria fratri illata, ſic per violentiam Libani *Hab. 2. 17.* denotatur violentia, qvam Judæa, qvæ Libanus appellatur, paſſa eſt à Babyloniis. אח frater, uſurpatur non tantum de germanis & uterinis fratribus, ſed etiam de propinqvis ſangvine & profeſſione, imò tribuitur etiam rebus inanimatis, qvæ ſimilitudinem qvandam invicem habent. Nam cognationem habet cum אחד Unus ac proinde, qvæ in uno conveniunt, fratres dicuntur, docente *Chemnitio.* Ejusdem ferè ſignificationis eſt ἀδελφὸς qvod LXX habent ab α conjunctivo & δελφὺς uterus, germani ſunt propriè uterini, qvaſi germina unius uteri.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Edom heic dicitur frater Jacobi, qvod Idumæi orti eſſent ab Eſavo, Iſraëlitæ verò à fratre Eſavi Jacobo. Jacob hoc eſt manu tenens calcaneum *Oſ.* 12. 4. *Gen.* 25. 26. qvaſi de benedictione, inſtinctu Divinô, cum fratre certaret. Qvod nomen à vera detorqvet ſignificatione Eſau, ut ſignificet idem qvod Supplantator *Gen.* 27. 30. adhibetur heic pro poſteris iſtius Patriarchæ, átq; adeò pro populo Dei & tota Eccleſia.

Operiet te pudor) Operiet tanqvam operculô aut veſte, à Græcis exponitur per καλύπτω, qvod ſignificat tegere & abſcondere rem aliqvam ne in conſpectum veniat. Senſus ergo eſt, ita te pudor operiet, ut qvocunq; te verteris, ignominiam tuam velut veſtem circumferas *Pſal.* 109. 17. vel planè ea pereas, ut qvos aqvarum vortex operit abſorptos, ut radix adhibetur *Exod.* 15. *v.* 5. בושה Pudor (à בוש qvod eſt in propria & prima ſignificatione erubeſcere Gen. 2. 25. ob turpia enim erubeſcimus,) non accipitur heic propriè pro metu infamiæ conjuncto cum amore honeſti, vel pro dolore ob peccatum admiſſum conjuncto cum propoſito fugiendi qvicqvid dedecus affert, ſed impropriè pro magna confuſione & gravi ignominia & dedecore.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Et excideris in ſeculum) de voce כָּרַת vide verſum præcedentem. In ſeculum עולם לעולם qvod Interpretes interdum reddunt æternum, interdum perpetuum, interdum ſeculum à נעלם h. e. abſconditus fuit, tempus eſt, cujus duratio eſt abſcondita, denotat (1) abſolutam perpetuitatem, æternitatem, cum dicitur de Deo, vel aliis rebus æternis. (2) periodicam & circumſcriptam perpetuitatem ſecundum rei naturam, cum ſcilicet dicitur de rebus in ſua natura mutabilibus. Senſus heic eſt, excideris in ſeculum ità, ut nunqvam te recolligas, nunqvam priſtinam dignitatam & potentiam recuperes.

Doctrinæ.

1. Licet Deus non caſtigat populum, niſi juſtam habuerit cauſam, adeò tamen caligant homines, ut non videant peccata priusqvam Deus ipſe eadem revelat. Hinc violatio Edom oſtenditur.

2. Nullum vel citius vel ſeverius punitur flagitium, qvàm illata Eccleſiæ Deiq; populo injuria. Deus minatur Edom ob Violentiam in fratrem, qvaſi aliud non commiſiſſet ſcelus.

3. Sævientes crudeliter in fratres, &, qvi animo

eos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

eos infenſiſſimo proſeqvuntur, graviſſimè à Deo puniuntur.

4. *Summo pudore afficientur inprimis illi, qvi cum amici eſſent, inimici & hoſtes ſunt Eccleſiæ, non enim, ut ſperant, Eccleſiæ ruinam videbunt, ſed abjectos & pudore ſuffuſos reddet eos divina juſtitia, Pudor operiet Edom.*

5. *Adeò hoſtes & inimici Eccleſiæ affligentur, ut nunqvam convaleſcant, ſed, niſi pœnitentiam egerint, in æternum pereant. Excideris in æternum.*

Verſ. 11.

ביום עמדך מנגד ביום שבות
זרים חילו ונכרים באו
שערו ועל ירושלם ידו גורל
גם אתה כאחד מהם׃

Violentia Edomi porrò in ſpecie deſcribitur poſitivè, qvid fecerit, qvòd dum fratri ſuccurreret, non modò non vanus ſpectator fuerit, ſed & inimicis ſe aſſociaverit, qvò gravior foret fratris afflictio.

In die ſtare te è regione.) qvô ſtabas è regi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

regione ſive ex adverſo, nempe fratris tui Jacobi, ſtabas è regione i. e. pugnabas *Tarnov.* ut ſit idem qvod ſtare contra aliqvem. *2 Sam. 18. 13.* LXX habent ἀντέστης reſiſtebas, qvæ vox militaris eſt, & ſignificat repugnantiam, qvæ fit vel armis vel argumentis, ſeu verbis. *Piſcator* verò, qvô intentè obſervabas, qvid malorum ipſi ab hoſte inferretur. Alii particulam מנגד exiſtimant notare ex adverſo, ut ſimul notet elongationem, & ſignificet ex longinqvo, ut ſenſus ſit, qvo non aderas ipſi, non curabas eum afflictum, non ejus miſerebaris, eum deſerebas, ut idem ſignificet qvod ſtare è regione plagæ ejus *Pſal. 28. 12.* ביום vel in die ut *Gen. 30. 33.* vel qvum, ut *Thr. 3. 57.* Hebræum עמד, contrarium verbo מעד tranſpoſitis literis, qvod ſignificat vacillare, non ſemper ſimpliciter ſtare ſignificat, ſed ἐμφατικῶς, ut *Gen. 18. 8. Zach. 3. 7.* מנגד ex adverſo LXX ἐξ ἐναντίας *Marc. 5. 39. Tit. 2. 8.*

In die captivum abducere alienos exercitum ejus) qvô alieni ſive extranei i. e. Chaldæi captivum abducebant exercitum ejus: Jacobi i. e. Judæorum. שבות à שבה bello cepit, captivum abduxit, abegit ex uno loco in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

alium. Qvidam notant contrarium eſſe verbo יָשַׁב & שָׁבַת qvæ manere & ceſſare ſignificat, & שׁוּב qvod reditum è loco, cum iſtud abductionem è loco denotet. *Merc.* A LXX redditur ἀιχμαλωτέυω bello captum in ſervitutem abduco, ab ἀιχμὴ cuſpis, mucro & ἁλωτὸς captus haſta, vel haſtæ cuſpide captus, armis captus. Alieni זרים à זור Adverſus, alienus fuit, à re aliqva abhorruit, qvod fit qvadam corporis & cordis compreſſione ſeu conſtrictone *Pſal.* 78. 30. *Job.* 19. 13. LXX habent ἀλλογένȣς Peregrinos, ex alia ſtirpe oriundos, ex alia natione, accipiuntur pro hoſtibus populi Iſraëlitici. Exercitus חיל, qvod interdum etiam absq; י ſcribitur *Ob.* v. 20. *Eſa.* 26. 1. uſurpatur heic qvemadmodum ſæpiſſime collectivè pro cœtu ſeu exercitu, in qvo ſunt ſtrenui, ad differentiam גדודים latrunculorum, qvi tantùm ad excurſiones & depopulationes faciendas inſtructi ſunt, accipitur etiam pro munitione ſeu propugnaculo, ex qvo ſtrenuè pugnatur, pro facultate, ſtrenuitate parta, חיל enim eſt ſtrenuitas, qvæ ſc. in labore & exercitio conſiſtit, & qvodammodo enititur facinora, & præclarè facta. Hebræo reſpondet Græorum δύναμις, qvod vocabu-

bulum etiam exercitum ſignificat, non ſolùm in ſermone ſacro, ſed etiam apud profanos Auctores, probatur hoc primum ex voce Hebræa זבאות qvæ exercitum ábsq; ullo dubio ſignificat & à Græcis vertitur per δυνάμεις, deinde auctoritate *Theodoreti* viri doctiſſimi, qvi ſcribit à Græcis δυνάμεις vocari exercitus. Poſtremò ex teſtimonio auctorum Claſſicorum, hujusmodi ſunt *Diodorus ſiculus*, *Nanzianzenus*, & alii, qvi pro exercitu hanc vocem ſæpe uſurpant.

Et extranei ingrediebantur portas ejus.) Alii ità: Cum peregrini venirent per portas ejus, Sic *Syr.* & non incommodè. Nam *v.* 13. infra legitur בשער. *Pagnin. Ariamont. Trem. Piſcat.* ingreſſi ſunt portas, Qvibus porta pro urbe, ut *Gen.* 22. 17. 24. 60. *Deut.* 17. 2. & 21. 57. *Ruth.* 3. 11. Absq; Tropo *Chald.* בקרויה in urbem ejus. Extranei נכר ſignificat nothum, h. e. talem perſonam aut rem, qvæ non eſt ejusdem ſeminis, nationis, religionis earumdémq; legum, ſed illegitima, aliena, extranea. Radix נכר Agnovit, alienavit, alienè vel extraneè ſe geſſit, tradidit & tradendo qvaſi alienavit. 1 *Sam.* 23. 7. *Deut.* 32. 27. *Jer.* 19. 4. *Job.* 21. 29. Duas habet

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

bet contrarias ſignificationes: cognitus fuit *Pſal. 103.16. 142.5.* incognitus fuit. *Prov. 26.24.* שער Porta dicitur propriè de parietibus ac domibus. Uſurpatur de portis urbium & Templorum & ſemel juxta aliam ſignificationem menſura *Gen. 26. 12.* qvòd ex menſura res qvæq; æſtimetur. Cur à radice שער Hebræis æſtimare porta dicatur, difficile eſt collectu. In lingva Æthiopica ſignificat ſolvere, liberare *Luc. 13. 12.* item dimittere *Luc. 2. 29. Marc. 6. 36.* Hinc rectè porta, per qvam populus intra mœnia ante detentus & concluſus, liber & ſolutus dimittitur. Græcorum πύλη propriè eſt aditus in urbem ferens, ut θύραι aditus, qvi in domum.

Et ſuper Jeruſalem projiciebant ſortem.) Innuitur heic à Propheta mos vetus, qvi erat, ut Victores per ſortem hoſtes bellô captos, vel prædam ab hoſtibus captam dividerent. Super Jeruſalem, cum eâ expugnatâ prædam inter ſe dividerent, & bona incolarum expilarent, vel etiam hoſtes dicuntur projeciſſe ſortem ſuper populum Dei *Joel. 3.3.* & ſuper honoratos *Nah. 3. v. 10.* nempè partientes eos inter ſe tanqvam vilia mancipia. Jeruſalem. Ebræi volunt Jeruſalem compoſitam ex Salem Melchiſedechi *Gen. 14. 18.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

& יראה nomine montis Moriæ *Gen.* 22. 14. In qvo poſtea ædificatum templum 2 *Par.* 3. 1. At *Aben-Ezra in Cant.* 6. 13. terrificum nomen Jebuſæorum facit: qvaſi timete Salem. Ex hac origine *Amama Antib.* colligit ירושלם vetuſtius eſſe nomen qvàm ירושלים: Sed & qvia hoc (nempe plenè) non exſtat niſi qvinqvies: Ut *Eſth.* 2. 6. *Jer.* 18. 26. 1 *Par.* 3. 5. 26. 5. 2 *Par.* 25. 1. (ſcilicet Jod non interpoſitum ne mutaretur nomen Salem) Et Jeruſalem in uſu apud Chald. LXX. Scriptores Novi Teſtamenti & *Hieronymum.*

גורל Sors variè uſurpatur pro calculo, qvi ad ſortiendum in vas conjicitur, ut h. l. *Prov.* 16. 33. *Jon.* 1. 7. Metonymicè pro eo, qvod ſorte decernitur, Metaphoricè qvod cuiq; obtingit. *Pſal.* 125. 3. Conjiciunt nonnulli à רגל qvod eſt explorare, derivatum eſſe hoc vocabulum, qvod ſorte res explorentur, & interdum res, qvæ ſorte obvenit, hoc nomine appellatur. Videtur autem eſſe à גרה qvod ſignificat miſcere lites, & particula negandi לא, qvæ ſignificat non. Sors verò illud eſt, qvô lites & contentiones non moventur, ſed finiuntur. Ab hac Hebræa voce גורל per transpoſitionem literarum ortum videtur Græcum κλῆ-ρος.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Etiam tu tanqvam unus ex iis) tu qvóq; tanqvam unus ex iis eras, eorum in crudelitate ſocius eras. Similitudine res ipſa ſignificatur Græc. Adjutor iis eras. גַּם etiam qvóq;, omnia גַּם eſſe ad incrementum ſtatuit *Rab. David*, cui aſſentitur *Buxtorph.* Sed dantur, qvæ ſimplicem important Emphaſin, & qvæ habent ſignificationes præter ἐπίτασιν. Qvod ex locis ſignificationum ſatis manifeſtum erit. כְּאַחַד tanqvam unus, כְּ ſecundum nonnullos h. l. eſt veritatis, ſecundum alios ſimilitudinis. Diſtingvunt communiter כְּ in Similitudinis, Conjecturæ, Veritatis, Identitatis, ſatis verò conſtat ea qvatuor non ſufficere ad omnes uſus ſeu ſignificationes hujus literæ; plura enim ejus ſunt ſignificata.

Doctrinæ.

1. Plurima eadémq; graviſſima, ubi Deus ad iram provocatus eſt, mala ipſius Dei populum infeſtant; Hinc enim alieni abducunt exercitum, ingrediuntur portas, projiciunt ſortes ſuper Jeruſalem.

2. Licet Deus magnâ ſeveritate populum caſtiget, attendit tamen accuratè, qvomodo unumqvodq; mali ejus inſtrumentum ſe gerat, ut aliqvando retribuat,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

buat, & hoc ipſo fidem populi ſui firmabit, qvia cum cogitaret, qvilibet DEum planiſſimè abjeciſſe afflictos Judæos, nec eorum unqvam fore miſerturum, revelat crudelitatem Edomi, qvàm benè obſervavit.

3. *Qvi ſiccîs oculîs & ſine ullâ commiſeratione calamitatem populi Dei intuetur, hoſtis à Deo æſtimatur, pars enim non minima violentiæ & crudelitatis Edomi eſt, qvòd è regione ſteterit, nec malis fratris ſui ingemuerit.*

4. *Graviſſimum à Deo peccatum cenſetur, qvod falſi & perfidi fratres cum ad opprimendam DEI Eccleſiam cum inimicis concurrant. Tu etiam tanqvam unus ex iis eras, eorum in crudelitate ſocius eras, licet illi peregrini & extranei, tu tamen frater eras.*

Verſ. 12.

ואל תרא ביום אחיך ביום נכרו ואל תשמח לבני יהודה ביום אבדם ואל תגדל פיך ביום צרה׃

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Verſ. 13.

אל תבוא בשער עמי ביום אידם אל תרא גם אתה ברעתו ביום אידו ואל תשלחנה בחילו ביום אידו׃

Verſ. 14.

ואל תעמד על הפרק להכרית את פליטיו ואל תסגר שרידיו ביום צרה׃

Violentia Edomi oſtenditur Negativè, qvid ſcil. facere non debuerat, & tamen egit, nempe, qvòd die calamitatis Judæ ille frater non cum voluptate miſeram ejus conditionem intueri debuiſſet, nec inſultaſſet ei, vel petulanti lingvâ Deum ejúsq; populum conſectatus fuiſſet, nec civitatem cum inimicis ingreſſus fuiſſet, eúmq; ſpoliaſſet, nec viam præcluſiſſet fugientibus Judæis, qvò vel exciderentur, vel in hoſtium manus venirent.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Et ne videas in die fratris tui) Ne ergo videas, vel aſpicias, ſc. cum voluptate, qvomodo ראה uſurpatur *Pſ. 112. 8. 50. 23.* Qvomodo impii vident malum piorum, *Pſal. 22. 8. 35. 21. Mich. 4. 11.* & piorum exitium videre exoptant. Videntur autem tres verſus ſeqventes aliam admittere interpretationem, ut ſc. Vocula אל i. e. ne reddatur per adverbium negandi, in qva ſignificatione interdum occurrit: ac proinde his verbis non contineatur hortatio, ſed denuntiatio. Cui interpretationi patrocinatur initium v. 15. ubi habetur conjunctio rationalis כי i. e. nam. Qvæ ſi admittitur ſententia, locus hic ita erit reddendus: Sed non aſpicies amplius diem fratris tui. Et Sic deinceps. Inſolens autem videtur, qvod vocula אל pro לא uſurpata toties iteretur. Aliàs multa dantur exempla, in qvibus אל ponitur pro לא ut *Gen. 49. 6. Ruth. 1. 13. Am. 5. 14. Pſal. 50. 3. Prov. 12. 28.* & alia. In die fratris tui. i. e. diem adverſitatis, qvô frater tuus magnam perpetitur calamitatem, & à Deo pœnis afficitur. Sic dies Ægypti *Eſ. 30. 9.* i. e. tempus, qvô Ægyptus magnâ plagâ percuſſa eſt, cùm Deus inde liberaret Iſraëlitas. Dies hic accipitur Synecdochicè, pro

 tem-

tempore magnarum afflictionum & calamitatum.

In die alienorum ejus) LXX, ἐν ἡμέρᾳ ἀπωλείων. Qvidam in die Traditionis ejus: rectiùs in die alienationis ejus. i. e. in qvo ipſe alienatur à Deo per deportationem in Babyloniam, qvando & Deus videtur à populo ſuo alieniori eſſe animô, qvia permittit eum affligi, & qvando ipſi populo abalienantur ſua bona, qvando in manus hoſtium traditur & in eorum venit poteſtatem. נכר Alienatio, qvidam volunt eſſe Infinit. Kal, alienitas potiùs, ſi ità bona cum Latinorum venia loqvi liceat, à radice נכר deqva vid. v. præced.

Et ne læteris ſuper filiis Judæ in die perire eos.) Ne de afflictione fratrum læteris in die exitii eorum. שמח propriè ſignificat lætatus fuit, Metaphoricè luxit, claruit, *Prov.* 13. 9. Unde & lucis nomine ſæpe læta & proſpera ſignificantur, ut *Eſth.* 8. 16. לבני־יהודה Super filiis. h. e. Poſteris; ל hic præfixum ſignificat ſuper, ſic, *Gen.* 24. 21. *Mich.* 7. 8. בן Filius, à בנה ædificavit domum vel urbem, per translationem verò elegantem uſurpatur de procreatione, ſuſceptione & educatione liberorum, qvi ex Paren-

rentibus qvaſi exſtruuntur. *Gen.* 16. 2. Judah ſignificat confeſſionem ſeu laudem, & ad hoc nomen Jacob reſpectum habet *Gen.* 49. 8. *Vid. Gen.* 29. *v.* 35.

Ne magnifices os tuum in die anguſtiæ.) Ne ſuperbè loqvitor, ſc. de Judæis; magnificare dicitur à גדל magnus fuit, Pihel גדל creſcere fecit, qvia is, qvi multa adverſus alium loqvitur, ipſiq; ſuperbiſſimè inſultat, reapſe ſolet os ſuum majus & amplius efficere, ſeu dilatare illud. פה Os oris, (Hinc ἔπω dico, ore enim dicimus.) Metonymicè Oratio ſeu verba ore prolata. *Gen.* 47. 12. Metaphoricè Acies, cum de gladio dicitur, ut Græcum στόμα. *Joſ.* 6. 21. Radix eſſet פיה & פה, pro פיה, formæ גאה, ut *Kimchi* ponit in *Michlol.* צרה Anguſtia à צור vel צרר preſſit, compreſſit, metaphoricè afflixit, infeſtavit. Talem ſignificat Anguſtiam, ubi non tantum foris ubiq; obſidetur aliqvis ab hoſtibus, aut circumdatus eſt periculis, ut evadere aut elabi non poſſit, ſed etiam, ubi cor dolore ità conſtringitur, ut neſciat, qvò ſe vertat, nec præſenti malo remedium invenire poſſit.

Ne ingrediaris in porta populi mei

in die calamitatis eorum.) Ne ingrediaris, ut Inimicus, ut Victor, portas i. e. urbem per Synechdochen, populi mei. h. e. oportuiſſet te meminiſſe Judæos fratres tuos meum eſſe populum, meum peculiarem populum. עם populus, multitudo hominum, dicitur ab עמם texit, operuit, obſcuravit, ex Chaldaicæ lingvæ uſu. LXX λάος à λάω, ſeu λάυω fruor, qvòd nati ſimus ad ſocietatem. Die calamitatis eorum: איד propriè vaporem, ſeu exhalationem & nubem ſignificat, Metaphoricè calamitatem, qvæ nubis more alicui tenebras offundet, & caliginem: ſicut nubes Latinis infortunium & triſtem rerum eventum ſignificat; apud Maſoram legitur etiam absq; י.

Et ne extendant ſe in Subſtantiam ejus in die calamitatis ejus.) Ne extendant ſe, ſcilicet manus tuæ in ſubſtantiam ejus i. e. in opes ſive facultates ejus. שלח de variis dicitur rebus, ut de Miniſtro, éſtq; legare, ablegare, *Prov. 9. 3.* de digito, éſtq; innuere, annuere. *Eſa. 58. 9.* de aqva, éſtq; fundere, effundere, *Job. 5. 10.* de ſermone *Pſal. 50. 19.* hôc locô de manu, éſtq; extendere, porrigere, idq; non in bonum, qvomodo adhibetur *Prov. 31. 19.* ſed in malum, & eſt

 præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

prædari: Conf. *Exod.* 22. 3. 11. *Lam.* 1. 10. LXX habent συνεπεπίθημι, ſimul aggredior.

Et ne ſtes ſuper diruptione.) alii in diruptione, Chald. ad compitum. Qvidam פרק in ea malunt accipere ſignificatione, qvâ legitur *Nah.* 3. 1. Ubi eſt dilaceratio, laceratum &, à LXX exponitur ἀδικία, ab *Aqvila* κυβερνισμός. Sed rectiùs heic eſt compitum, bivium, qvaſi viæ diſruptio, à פרק rupit, abrupit; hanc enim interpretationem comprobant ſeqventia, LXX habent ἐκβολάς, alii διεκβολάς, h. e. egreſſus per viam anguſtam & interceptam. Ad excidendum) ſcilicet qvatenus indicas Chaldæis, qva via evaſerint Judæi. Syned. gen. *Piſc.* Haud tamen, dubiè etiam Edomæi ipſi Judæos profugos interfecerunt. Evaſores פליטיו, LXX. ἀνασωζομένους, qvi ex periculo, vel vitæ diſcrimine liberati fuerunt. סגר includeres, & nullum eſſet effugium. שרידיו ſuperſtites ejus, ſcilicet, qvi poſt mortem aliorum reſidui fuerunt. In die anguſtiæ: Emphatica eſt hæc repetitio, q. d. afflictionem afflictis addere non debebas, ſed eorum potiùs miſereri.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Doctrinæ.

1. Tempus afflictionis piorum tenebricoſum admodum eſt, Dies dicitur calamitatis, dies alienationis, Hoc eſt, non agitur cum ipſis, ut cum populo electo & peculiari, ſed velut cum peregrinis, & in exſilium ejectis. Et qvandoqvidem brevibus afflictiones terminis circumſcribat Deus, hinc fit, ut acervatim ingruant.

2. Non qvòd multa patiatur Eccleſia Dei, exiſtimabit ſe omni porro probatione liberandam fore, ſed continuo, ſi Deo placuerit, exercitio ſe piè ſubmittet. Juda enim in media calamitate plura ab Edomo mala præſtolabitur.

3. Licet impii ſecundum cupiditates cordium ambulent, & qvæ meditantur mala, exſeqvi valeant, docentur tamen à Deo legem eſſe, cui obſecundabunt, eámq; ſi violaverint, non defuturum eſſe ſupplicium, qvia licet ſibi ipſi ſatisfecerit Edom affligendo Jacobum, Dominus ipſi dicit, non hæc vel illa commiſiſſes, alia enim præſtare officia & frater & vicinus legē tenebaris.

4. Plagam plagis addere barbara eſt crudelitas, ſed tantò immanior, cùm ità ſerviant, à qvibus ſolatium

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

tium jure exſpectaretur, Ne videas in die fratris in die perire eos. Hinc tantò gravius peccatum Edomi, qvòd tempore afflictionis odium ſimul ſuum oſtenderit.

5. Non minimam qvidem, qvâ Eccleſia afficitur, injuriam obliviſcetur Deus, licet enim funditus omnia devaſtaverint Chaldæi, ut hæc ipſa everſio minora delere videretur mala, recordatur tamen divina Majeſtas & lætiorem aſpectum, & ingreſſum per portas, & extenſionem manuum ad opes.

6. Apoſtatæ, perverſiq; fratres crudeliſſimè eos, qvos deſeruerunt, inſectantur, Edom enim frater præter hoc qvod inimicis ſe aſſociavit, vel ipſis immanior eſt, dum qvod Chaldæi omiſiſſe videntur, admiſerit.

7. Etiam cum Eccleſiam maximè affligat Deus, & furori hoſtium habenas laxat, non tamen ipſius planè obliviſcitur, in medio enim furore Chaldæorum & Edomi Eccleſiam tamen vocat ſuum populum, qvod ſignum éſt propenſi ipſius in Eccleſiam, mediis etiam in malis, amoris.

Verſ. 15.

כי קרוב יום יהוה על כל הגוים

הגוים כאשר עשית יעשה
לך גמלך ישוב בראשך:

Verſ. 16.

כי כאשר שתיתם על הר
קדשי ישתו כל הגוים
תמיד ושתו ולעו והיו
כלוא היו:

Suas Deus minas repetit, oſtenditq;, cùm nec fraternus, nec ullus virtutis amor Edomum à malo abſterrere potuerit propoſito, aliud adhuc, qvô inſolentiam cöercebit, ſupereſſe, inſtare ſcilicet diem Domini ſuper gentes, & ſpecialiter ſuper Edomum; juſtum qvippe eſt Domino injuriam Eccleſiæ illatam rependere, &, qvemadmodum Dei populus calicem afflictonis bibit, ità etiam Edom cum aliis calicem iræ ejus in deſtructionem guſtaturus eſt.

Qvoniam propingvus dies Domini ſuper omnes gentes.) Dies heic accipitur Synechdochicè pro tempore, qvô Deus in gentes peccantes graviſſimè animadvertet. Propingvus dici-

dicitur ratione temporis, qvòd Deus intra temporis haud longiſſimi tractum horrendas immiſſurus eſt calamitates, & qvidem ante obitum hominis unius ætate etiam provectioris, qvalis modò erat Nebucadneſar. Super omnes gentes vel contra, ſecundùm nonnullos enim עַל ſignificat & contra: omnes iſtas gentes, in Hebræo eſt articulus; intelliguntut ergo gentes, qvæ perſecutæ ſunt Judæos, qvas Deus Nebucadneſari tradidit, qváſq; ejus Viri armis puniendas vult. Ut *Jer.* 27. v. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Qvemadmodum feciſti, fiet tibi.) כַּאֲשֶׁר Qvemadmodum, an pro relativo אֲשֶׁר ſumatur omnino dubium eſt. Affirmat *Druſius* deceptus à *Kimchio*, & hic à *Maſora*. Feciſti, ſcilicet perfidè, crudeliter, qvemadmodum preſſiſti, compreſſiſti, hanc enim ſignificationem habet etiam עָשָׂה ut idem ſit, qvod עָסָה literis ס & שׂ propter affinitatem permutatis. *Zoph.* 3. 13. R. *David* ait ibi habere ſignificationem contundendi, ſeu conterendi, uti etiam *Ez.* 23. 3. 21. *Pſ.* 139. 15. qvemadmodum alios tractâſti, tractaberis, átq; adeò pœnâ talionis afficieris, & hoc evenit Edom intra qvinqvennium poſt deſtru-

ctam Hieroſolymam, qvô temporis ſpatiô prophetatus eſt Obadias.

Retributio tua revertetur in tuum caput.) Retributio גְּמוּל ſignificat propriè rem ſeu factum, alii præſtitum ſive bonum ſive malum. In bonam partem ſumitur *Jud.* 9. 16. *Prov.* 19. 7. in malam *Pſal.* 137. 8. dicitur hôc locô vel de maleficio & injuria Edomi, vel de pœnis graviſſimis, qvas Deus de Edomo ſumit propter violentiam in Judæos & ſic paſſivè dicitur retributio Edomi, activè autem eſt retributio Dei, unde Deus etiam vocatur אֵל גְּמֻלוֹת Deus retributionum. *Jer.* 51. *v.* 56. Revertetur in tuum caput, hoc eſt, pernicies tibi ipſi continget, qvam aliis molitus es. Ut *Pſal.* 137. 8. *Joel.* 3. 7. 8. vel per ראש intelligas Viros eminentes, Principes tuos, qvi qvemadmodum primi fuerunt in crudelitate, ità etiam primi in ſuſtinendis plagis erunt.

Qvoniam qvemadmodum bibiſtis in monte ſanctitatis meo.) Secundum nonnullos confirmatio eſt comminationis adverſus Edom, ut hic ſit ſenſus, qvemadmodum tu, o Edom, de populi mei interitu lætior convivia in

monte ſanctitatis meo celebraſti, ita etiam gentes aliæ de tuo lætæ exitio compotationes inſtituent, nec deſiſtent, usqvedum te devoraverint, ut totus pereas, & memoria ſimul tua exſtirpetur. Conf. *Ezech.* 35. 15. Secundum alios principium eſt conſolatorii ſermonis ad Judæos, ut hic ſenſus relinqvatur, Sicut vos bibiſtis calicem iræ Hieroſolymis in monte ſancto, ita, qvæ vos afflixere, gentes fœces bibent, ut pereant, nec ampliùs ſint, cùm veſtra in gaudium vertetur triſtitia, & cùm iſtiusmodi eveniant gentibus aliis, qvantò magis Edomo, utpote graviſſimè peccanti Vid. *Jer.* 49. 17. 18. 21. 22.

VOS.) Apoſtrophe eſt ſecundum priores ad Idumæos, cùm enim de triumphali interpreteris convivio, Idumæi aliíq; intelliguntur, qvi in teſtimonium lætitiæ victoríæq; ſupra Judæos convivia celebrârunt, qvomodo vox שָׁתָה bibere uſurpatur 1 *Reg.* 20. 12. 16. ſecundum poſteriores ad Judæos, qvando enim de afflictone expoſueris, indigitantur Judæi, qvi calicem iræ divinæ biberunt, qvomodo vocabulum שָׁתָה metaphoricè in ſacris ſæpius adhibetur, deſumptâ ſecundum *Illyricum* locutione ſive à bibendi certaminibus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

ubi convivæ certas ebibere menſuras coguntur non ſine faſtidio ac etiam valetudinis læſione, ſive ab iis, qvi venena metuunt, ſive deniq;, qvod ſicut Patresfamilias ſoliti erant olim ſuum ſingulis dimenſum cibi ac potus diſtribuere, ſic & Deus non tantùm beneficia, ſed & pœnas diſpertiatur. In monte ſanctitatis meo) hoc eſt in monte meo ſancto. Per montem ſanctum intelligitur vel tota terra Chananæa, vel Jeruſalem, vel Templum, hæc enim omnia in Sacris nomine montis ſanctitatis inſigniuntur. *Eſa.* 14. *v.* 25. *Zach.* 8. 3. *Eſa.* 65. 7. Mons autem vocatur terra Chananæa, qvòd erat montoſa regio, Jeruſalem, qvod cincta montibus, & qvod cum Templo in monte Sionis ædificata. Mons Sanctitatis, qvòd in ipſis cultus Dei celebrabatur; Radix קדש ſignificat ab uſu communi ad divinum ſeparari, qvemadmodum & ἅγιος ab α privativo & γῆ terra.

Bibent omnes gentes jugiter, & bibent & abſorbebunt) vel ſecundum priorum ſententiam omnes facultates Edomi deprædabuntur & exhaurient, qvemadmodum *Job.* 5. 5. bibere facultates alicujus, eſt omnia ejus bona

diri-

diripere, & לוע ſignificat etiam perdere, corrumpere, *Job.* 6. 3. vel ſecundum poſteriorum ſententiam fœces bibent, hoc eſt graviſſimis pœnis afficientur *Pſal.* 75. 9. *Jer.* 51. 15. Jugiter, In nonnullis exemplaribus pro תמיד eſt סביב, ſed mendoſè, uti conſtat tum ex *Maſorethis*, tum ex *Chald.* & *Hieronymo.* תמיד qvaſi eſſet -תע תעמיד ſine intermiſſione, qvotidie; vocabulum hoc aliàs, non ſubſtantivum, ut volunt nonnulli, ſed adjectivum, qvod oſtendit *Pagninus*, ſæpe, ut hoc loco, adverbiaſcit. Et erunt ac ſi non fuiſſent, hoc eſt in nihilum redigentur, & memoria noménq; Idumæorum delebitur.

Doctrinæ.

1. *Omnibus univerſali providentiâ imperat Supremum Numen, iis etiam, qvi ipſum non noverunt, vel non nomen ipſius profitentur, & eosdem caſtigabit, qvia Dies Domini ſupra omnes gentes, dies eſt, qvâ ſe Deum & Judicem eorum eſſe oſtendet.*

2. *Afflictio Eccleſiæ certiſſimum eſt præſagium vindictæ, qvam de mundo & inimicis ſumet Deus, qvia cum Judah affligitur Dies Domini propinqvus.*

3. *Non externa populum privilegia afflictione li-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

berant, & hanc ipſam maturiora peccata expoſtulant. Bibiſtis in monte ſanctitatis meo, & bibent gentes &c.

4. Singulare hoc Eccleſiæ privilegium eſt, quod poculum excandeſcentiæ divinæ prior delibatura ſit, bibátq;, quod clarius & defecatius eſt, in fundo enim & ima poculi parte fæces ſunt, quæ impiis poſtremò locô bibituris reſervantur.

Verſ. 17.

ובהר ציון תהיה פליטה והיה קדש וירשו בית יעקב את מורשיהם:

Abſolutâ jam priori parte, ad poſteriorem Prophetiæ hujus partem provehimur, quæ Evangelica eſt, & promiſſiones piis factas complectitur.

In monte Sionis.) Per montem Sionis hiſtoricè & ſecundùm literam intelliguntur Judæi incolæ Hieroſolymæ, iiq;, qui in templo Deum venerabantur, myſticè Eccleſia Dei. Mons enim Sionis typus eſt Eccleſiæ, tum quòd arca & tabernaculum tempore Davidis fuerunt in Sion, tum

qvòd Mons Moriæ, in qvo poſtea templum conditum, erat pars Sionis. ציון hoc eſt, locus ſiccus ſeu aridus, ſecundùm alios tumulus, ſecundum *Hieronymum* arx vel ſpecula, *Hilario in Pſal. 68.* Speculatio.

Erit evaſio.) פליטה ter legitur ábsq; י *Ezech.* 14. 22. *Jud.* 21. 17. 2 *Sam.* 15. 14. liberatio vel reliqviæ, denotat futuras eſſe reliqvias, qvæ hoſtilem effugient gladium, qvæq; poſt 70 annorum captivitatem & exſilium per Cyrum reſtituentur, myſticè redemptionem per Chriſtum indigitat. *Chald.* Salus. LXX σωτηρία, vertitur qvidem à nonnullis vita, ſed non omnis vita eſt σωτηρία, ſed ea demum, qvæ miſeris & deploratæ ſpei ac perditis hominibus obvenit.

Et erit ſanctitas.) Metonymia formæ, hoc eſt, Templum erit ſanctum, ſancta urbe de novo ædificata, ſanctus populus à captivitate redux, obſecundabit ſcilicet legi divinæ, venerabitur Deum in templo, pura offeret ſacrificia; myſticè de Eccleſia accipitur, qvæ Sancta eſt ſanctitate tum Chriſti imputatâ & perfectâ, tum ſuâ inhærente & imperfectâ in cœleſti Sion conſummanda.

Do-

Domus Jacob) per domum Jacobi literaliter intelligitur gens Iſraëlis, qvæ originẽ à Jacobo traxit, myſticè Eccleſia, omnes pii & fideles *Rom.* 11. 26. Poſſidebunt poſſeſſiones ſuas, vel poſſeſſiones gentium inimicarum, qvemadmodum LXX vertunt κατακληρωνομήσουσι τοὺς κατακληρονομήσαντας αὐτῶν, myſticè fideles & pii omnes hæreditariô jure poſſidebunt poſſeſſiones ſuas hæreditarias fideliter ipſis à Deo promiſſas; omnia obtinebunt bona, tam ad hanc vitam ſpectantia corporalia ac ſpiritualia, qvantum hic ſuffecerit, qvàm ad alteram pertinentia, qvæ hìc habebunt certâ fide ac ſpe, poſteà verò etiam in re & aſpectu, licet coram mundo omnibus exuti bonis videantur. 2 *Cor.* 6. 10. Radix ירש freqventiſſimè ſignificat hæreditario jure poſſidere, nonnunqvam tamen latiori ſenſu uſurpatur, ſcilicet poſſidere qvid qvacúnq; ratione 1 *Reg.* 21. 15. *Deut.* 2. 24. Græci habent κατακληρονομέω vel κληρονομέω hæreditate obtineo, qvia hæreditates olim per ſortes diſtribui ſolebant, veluti terra Canaan promiſſa filiis Iſraëlis in hæreditatem.

Doctrinæ.

1. Licèt tempore afflictionis Eccleſiæ, qvæ gratiſſima ſunt,

ſunt, negare videatur divina Majeſtas, adeò tamen eandem impenſè amat, ut brevi implendis promiſſionibus ipſam conſoletur. Tempore enim afflictionis Judæ multa ipſi felicia promittuntur.

2. *Non tantummodò ingruentibus malis, qvi effugient, habebit Eccleſia, fieri enim neqvit, ut totaliter exſtirpetur, verùm etiam pleniſſimam ſuo tempore ab adverſitatibus liberationem exſpectatura eſt. In monte Sionis erit evaſio.*

3. *Sanctitati non modò operam dabit Eccleſia, ſed & ipſe Deus ſeſe eandem in Eccleſiæ membris operaturum eſſe pollicetur. Hæc Dei eſt promiſſio, Erit Sanctitas.*

4. *Bona Eccleſiæ ſive temporalia ſive Spiritualia, in qvantum promiſſa & neceſſaria, licet ſubinde anxiè deſiderentur, certiſſimè reditura ſunt. Domus Jacobi poſt exſilium & captivitatem poſſidebit poſſeſſiones ſuas.*

Verſ. 18.

והיה בית יעקב אש ובית יוסף להבה ובית עשו לקש ודלקו בהם ואכלום ולא יהיה

יהיה שריד לבית עשו כי יהיה דבר׃

Prædicitur porrò extrema Idumæorum & Eccleſiæ hoſtium everſio; Iſraël enim à captivitate redux reliqvias Edomi devaſtabit. Conf. *Joël 3. 16. Ezech. 25. 14.* Per domum Jacobi intelliguntur vel Iſraëlitæ duarum, vel generaliter duodecim tribuum, reliqviæ ſcilicet decem tribuum jungendæ cum duabus in reductione à captivitate Babylonica. Per domum Joſephi, vel duæ Tribus Manaſſe & Ephraim, vel omnes, ut idem aliis verbis repetat, vel particulariter Iſraëlitæ decem tribuum, qvemadmodum *Am. 5. 6. Zach.* 10. 6. idq; in conſolationem, qvòd licèt graviores Idololatræ & Apoſtatæ exſtiterint, non tamen planè ejiciantur, & omni favore excludantur, myſticè Eccleſia Dei ex utróq; Judæorum & gentium populo conflata. Ignis & flamma accipiuntur heic metaphoricè pro rebus pernicioſiſſimis, qvòd, qvemadmodum ignis & flamma obvia ſibi conſumunt, ita Eccleſia planiſſimè ſuperabit & evertet adverſarios.

Do-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Domus Eſavi eſt gens Idumæorum, qvi erant poſteri Eſavi, per domum Eſavi Antichriſtus ſignificatur, לקש In ſtipulam vel qvaſi ſtipula. Sic לאשה in uxorem, vel uxoris locô, vel reverà Uxor. Sic *Act.* 7.21. εἰς υἱὸν pro ipſo filio. קש qvisqviliæ cujuslibet materiæ, qvæ feſtinanter aut ventô diſſipantur, aut igne conſumuntur, hoc eſt, adeò deplorata erit Idumæorum conditio, ut non minùs inhabiles ac inepti ſint ad reſiſtendum, vel ad ſeipſos conſervandos, qvàm ſtipula ad vim ignis coërcendam. Et exardeſcent in eos) hoc eſt ardenti & infeſtô animô inſectabuntur eos; eam enim induit ſignificationem דלק qvoties homini tribuitur, docente *Mercero*, ſimilitudine ab igne ductâ, qvi urendo progreditur, & proximas qvasqve res inſectatur & corripit, ità Iſraëlitæ crudeliſſimè in Idumæos ſævituri erunt. Et comedent eos) in eadem pergit metaphora ab igne; qvemadmodum enim ignis materiam combuſtibilem conſumit, ità etiam devaſtabuntur Idumæi, ut nihil ſit reliqvum, ut non ſit reſiduum. LXX habent πυροφόρος; Sed qvid hoc? frumentarius, ait *Hieron:* hoc eſt, veredarius qvi ſcilicet nuntium ferat hujus cladis ad vicinas gentes, deerit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Qvod ſine exemplo aut teſte dicitur. In aliis autem libris eſt πυρφόρος, teſte *Hieron.* flammiger & ſolus ſuperſtes in bello. Propriè πυρφόρος dicebatur vates facem gerens ante prima ſigna, qvoties procinctæ acies congredi pararent. Hunc tanqvam ſacrum, qvod Legati munus obiret, violare nefas erat. Non erit reſiduum domui Eſavi,) hoc eſt impiis & inhumanis Idumæis, ex qvibus tamen reliqviæ ſecundum electionem gratiæ conſervabuntur qvidem. *Am.* 9. 12. ſed cum Judæis & Iſraëlitis cooptatæ, & in familiam Dei adſcitæ Evangelio Chriſti.

Qvia Jehova eloqvitur.) Certiſſimè futurum eſſe indicat hæc loqvendi formula. Et ex parte impleta eſt hæc Prophetia per Hircanum & Maccabæos 1 *Mac.* 5.3. pleniùs autem implenda in ſenſu myſtico, cum Dominus Eccleſiam inimicis formidabilem reddet, ſuáq; gratiâ & verbô ſuô impios vel convertet, vel evertet, átq; ità potentiſſimam Eccleſiæ contra hoſtes victoriam concedet.

Doctrinæ.

1. *Nunqvam Eccleſia, dum in terris militat [vel inve-*

inveteratis hoſtibus, vel, cum qvibus luctabitur, difficultatibus caritura eſt. Domus Juda & Joſeph reſiſtentem habet Domum Eſavi.

2. *Qvò majore in pios impietate inſurgunt eorum hoſtes, vel hoc effecerint, ut in his ipſis liberandis magis magisq; divina benignitas eluceſcat, id qvod promiſſio hæc docebit.*

3. *Bellum, qvod Eccleſiæ infertur, inferenti erit pernicioſiſſimum, & ubi Supremo placuerit Numini, infirmiori ſuo populo vires & victoriam largietur.*

4. *Omnipotentia & fidelitas loqventis Dei ad firmandam roborandámq; fidem ſuorum ſuffecerit.*

Verſ. 19.

וירשו הנגב את הר עשו וה-
והשפלה את פלשתים ויר-
וירשו את שדה אפרים
ואת שדה שמרון ובנימן
את הגלעד:

Verſ. 20.

וגלת החל הזה לבני ישראל
אשר

אשר כנענים עד צרפת
וגלת ירושלם אשר בספ-
בספרד ירשו את ערי
הנגב:

Et poſſidebunt meridiem montem Eſavi, & locum humilem Phili-ſtæos.) Ità qvidam exponunt, & per meridiem intelligunt regionem meridionalem, ut appoſitio ſit, poſſidebunt meridiem montem Eſavi, ſic etiam locum humilem Philiſtæos, id eſt, veterem Judææ terminum obtinebunt, ac multò ampliùs, qvia gentes cum Judæis hæreditate communicaturæ ſunt. Alii qvi auſtrum tenent, poſſidebunt, hoc eſt, Judæi, qvi partem meridionalem Canaan Idumææ proximam incoluerunt, reduces poſt victorias ab Edomo reportatas regionem ipſius dictam heic montem Eſavi poſſidebunt, & qvi campeſtria, hoc eſt, Judæi, qvi planitiem Paleſtinæ proximam *Joſ. 15.33.* coluerunt. Philiſtæos, hoc eſt amplificabunt terminos, & regionem Philiſtæorum unà cum hæreditate veteri poſſidebunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

נגב ex uſu Chaldæorum eſt terra ſicca, locus aridus, metonymicè autem plaga meridionalis, ob æſtum ſolis arida, & Judæa maximam partem montoſa, adeóq; ſiccior & aridior verè נגב dicitur. שפלה interdum ſtrictiùs accipitur pro declivi tantùm, & in vallem propendente regione, ut *Deut.* 1. 7. Interdum latiùs pro regione plana & campeſtri, ut *Joſ.* 15. 33. & hic, cum ea pars terræ Canaan intelligitur, qvæ reſpectu Judææ plana & campeſtris erat.

Et poſſidebunt agrum Ephraim & agrum Samariæ) hoc eſt, adeò fines ſuos protendet Judah, ut ſortem vicini ſui Benjamin transgrediens ad Ephraimitas & Samaritas perveniat, qvos non ſine cauſa à Juda obtinendos ait, ut qvi qvondam idolatriâ infames erant, in poſſeſſione modò Judæ ſint, eundémq; cum illis Deum vereantur. שדה Ager tam cultus & ſativus, qvàm paſcuoſus, ut ſcribit *Kimki*, utráq; habitatio homini inſervit, unde & pro terra vel regione qvam homines incolunt, ſumitur. Ephraim à פרה fructificavit, auctus fuit, pro tota ponitur regione, qvam decem tribus coluerunt; Jeroboam enim Rex decem tribuum hac

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

hac oriundus ſtirpe fuit. Per Samariam intelligitur tota aut præcipua decem tribuum regio, qvod Samaria erat regia Regum Iſraëlis & regni Iſraëlitici caput. Et Benjamin poſſidebit Gilead Benjamin) hoc eſt, tribus Benjamitica vel cum Juda conjuncta, ſubaudi, poſſidebit Gilead, qvæ Regio eſt ultra Jordanem aſſignata tribui Ruben, Gad, dimidiæq; Manaſſis, vaſtata per Haſaël & Tiglath Pileſer ante captam Samariam, ſed inhabitanda à Benjamitis *Joſeph.* 12.12. 1 *Mac.* 5. *v.* 17. *&c.* Largior heic promiſſa eſt poſſeſſio, qvàm unqvam ante captivitatem, & haud dubiè amplificationem Eccleſiæ Evangelii tempore indigitat, & ſpecialiter cum Antichriſtus ſub typo Edomi vaſtabitur.

Et transmigratio exercitus hujus filiorum Iſraël) de decem jam tribubus hoc agit verſiculo Propheta, qvomodo ſuas recuperatæ ſint poſſeſſiones, & per exercitum hunc filiorum Iſraël indigitat illos, qvi ex decem tribubus in captivitatem abducti ſunt per Salmanaſarem 130 annis ante Hieroſolymam à Nebucadneſare occupatam. החל nonnulli verterunt initium ab החל incipiendo, verùm tunc ſcriberetur החל.

Dan-

Dantur etiam qvi τὸ חל pro antemurali vel valle exponunt, ſed, licet Samaria in valle ſita fuerit, & Jeruſalem vallis viſionis nuncupetur, alienior eſt expoſitio. Verùm τὸ החל dicitur heic pro החיל forma regiminis pro abſoluta, ſic ליל nox pro ליל *Eſa. 21. 11.* יין Vinum pro יין *Cant. 7. 9.* Vel חל eſt formæ גר peregrinus. Exercitus dicitur ob magnam multitudinem. Nec fruſtrà addit Propheta exercitus hujus ſed demonſtrandi gratiâ, qvaſi populares ſuos indicans, & qvod hic Propheta inter decem tribus vaticinatus ſit. Qvod fuit Cananæorum usqve ad Tzarphath) hoc eſt poſſidebit regionem omnem, qvæ Cananæorum fuit usqve ad Tzarphath, id eſt Sareptam, qvæ urbs fuit Sidoniorum, ſic dicta ab officinis, in qvibus vitra vel metalla excoqvebantur, & Iſraëlitarum ad ſeptentrionem terminus. Et transmigratio Jeruſalem) hoc eſt, duæ tribus in captivitatem abductæ occupata per Nebucadneſarem Hieruſolyma, qvæ in Sepharad. Per Sepharad prætervecti variorum opiniones literaliter intelligi arbitramur, urbem qvandam in Babylonia, in qva diſperſi Judæi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Poſſidebunt urbes meridiei) Syntheſis eſt, pro poſſidebit urbes, qvas Judæi auſtrales antea poſſederant. Myſticè interpretamur optimè de diſperſione Apoſtolorum aliorúmq; Chriſti diſcipulorum, qvi ob perſecutionem è Judæa diſperſi inter gentes eas undíq; ad Chriſtum adduxerunt.

Doctrinæ.

1. Afflictiones Eccleſiæ, benedicente Deô, admodum proficuæ erunt; captivitas enim non tantùm propriam lucrabitur terram, ſed & Montem Eſavi & Philiſtæos, & qvæ ipſius aute captivitatem non erant.

2. Eccleſia Chriſti iunimicis imperabit vel per voluntariam eorundem converſionem, vel per violentam deſtructionem.

3. Privilegia populi Dei revocari vel mutari neqveunt, & licet aliqvô imminuta tempore videantur, lœtiſſimos fructus progenerant.

4. Notiſſima Domino eſt populi ipſius adverſitas ut & captivitas, plurimáq; benevolentiæ ſuæ erga ipſum, cui crucem impoſuit, documenta dabit. Licet enim transmigratio hæc non ſine ignomina facta fuit, Deo tamen cognita eſt, & hic ipſe effecturus,

ut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

ut non modo propria, ſed & qvæ in hoſtium manu fuerant, reſtituantur.

Verſ. 21.

ועלו מושיעים בהר ציון לש-
לשפט את הר עשו והיתה
ליהוה המלוכה׃

Pollicetur porro Propheta excitanda fore inſtrumenta, qvæ Eccleſiam liberabunt, ejúsq; cauſam adverſus inimicos tutabuntur, qvemadmodum Judices olim ad liberandum Iſraëlem clementiſſimè dederit. Promittit deniq;, qvod utramq; facit pagnam, Jehovam in Chriſto ſuo Eccleſiæ in æternum fore imperaturum.

Et aſcendent Salvatores in monte Zion.) Per Salvatores literaliter intelliguntur tribuum è captivitate Babylonica redeuntium Duces & Anteſignani, qvales Zerubabel, Ezra, Nehemiah & ſucceſſores horum plurimi alii temporibus Hircani & Maccabæorum, qvi licet non omnes, qvorum fit mentio, fines Iſraëlitis reſtituerint, qvodammodo tamen Chriſti & Apoſtolorum ejus in liberatione typi fuerunt. Myſticè autem

tem Apoſtoli immediatè à Chriſto vocati miraculísq; inſtructi, qvi verbo à ſe prædicatô miniſterialiter homines ſalvaturi ſunt. Ad judicandum montem Eſau) literaliter, ut qvod imperii ſignum eſt, jus dicant Idumæis, qvemadmodum Hircanus fecerit, cum Idumæi, ne regionem relinqverent, ſeſe circumcidi paterentur, myſticè per montem Eſavi gentes accipiuntur, hoc eſt, increduli, impii, qvorum impietatem Apoſtoli redarguent, judiciumq; ſuperventurum denunciabunt. Et erit Jehovæ regnum), Chriſtum heic Jehovam nuncupat Propheta, ille enim in regno Davidis regnaturus eſt. Chriſtus igitur per Evangelii prædicationem ubiq; regnabit, eritq; Rex Eccleſiæ ſuæ perpetuus, cui perfectè omnia tanqvam capiti ſubjicientur. Qvod pluribus ante, ratione miniſterii ipſorum tributum eſt, ſervare, judicare, heic uni Chriſto, ut Summo Principi propriè veréq; tribuitur. Et hæc qvidem omnia per Chriſtum Salvatorem jam dudum impleta eſſe Eccleſia agnoſcit Chriſtiana, qvæ porro de voluntate ipſius certisſima cernuis inſtat ſuppliciis, ut ſuo clementisſimè Sionem clypeô pro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

protegat, & Edomum, h. e. Antichriſtum, ejúsq; regnum radicitùs exſtirpet.

Doctrinæ.

1. Nunqvam Eccleſiæ Dei, qvæ ſalutem ipſius procurabunt, defutura ſunt inſtrumenta.

2. Certiſſimè Eccleſiæ obveniet ſalus æterna & temporalis ſimul, in qvantum proderit. Hinc, qvi liberatores erunt, Salvatores audiunt, licet inſtrumentaliter.

3. Qvæ in ore Miniſtrorum Chriſti eſt, Evangelii doctrina arguet, judicabit, condemnabitq; mundum, & omnes inimicos Chriſti, judiciúmq; illud adjunctas habiturum eſt plagas, usqvedum illuxerit dies illa, qvâ verbum judicabit eos, & pleniſſimè ſecundum hoc ipſum remunerandi ſunt.

4. Prout abſolutum Dei eſt imperium in mundum & adverſarios omnes, ita, qvando in Eccleſiæ emolumentum inſtrumenta ſuſcitat, tantum ipſis largietur virium, ut de hoſtibus glorioſè triumphent.

5. Vel ſummum Eccleſiæ piorúmq; omnium ſolatium eſt, Regnum Chriſti eſſe, ſub ipſius enim jugo & regimine conſeneſcere ſvaviſſimum eſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

6. Æternum & perpetuò duraturum erit Regnum Chriſti, id qvod firmiſſima Dei promiſſione nititur, átq; huic innixa fundamento Eccleſia certiſſimè diem expectabit, qvâ ἐγένοντο αἱ βασιλεῖαι τοῦ κόσμου, τοῦ Κυρίου ἡμῶν, καὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, καὶ βασιλεύσει εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

FINIS.

Nehem. XIII. v. ult.

זכרה לי אלהי לטובה:

Elenchus Authorum hôc libellô contentorum.

Aben Ezra.
Amama Antib.
Aqvila.
Ariæmontan.
Beza.
Bibl. Norim.
Buxtorphius.
Chemnitius.
Chryſoſtomus.
Cornelius à lapide.
Coccejus.
R. David.
Diodorus Siculus.
Druſius.
Fagius.
Fullerus.
Glasſius.
Hieronymus.
Hilarius.
Himmelius.
Illyricus.
Joſephus.
Junius.
Kimki.
Kirkerus.
Leusden.
Ludovicus de Duce.
Maſora.
Menochius.
Mercerus.
Mollerus.
Munſterus.
Nanzianzenus.
Pagninus.
Paſor.
Piſcator.
Plinius.
Schindlerus.
Strabo.
Tarnovius.
Targum.
Theodoretus.
Tremellius.
Vatablus.
Waſerus.

Ty-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Typographus Lectori S.

Syllabum heic tua cum venia exhibeo Operum Authoris, qvæ è noſtra officina prodiêre.

Diſſertatio de Donariis. Haun.	1677.
Diſputatio de Summo Ente.	1677.
Diſputatio de Aſtrologia.	1678.
Diſputatio ſecunda de ſummo Ente.	1678.
Diſputatio de Intelligentiis.	1678.
Diſputatio de Anima Separata.	1679.
Excellentia filiorum Dei in ſtatu gratiæ & gloriæ.	1680.
Epigrammatum libri tres.	1680.
Piæ meditationes de morte.	1682.
Dies & nox hominis.	1682.
Ethica Chriſtiana.	1684.
Analyſis Bibliorum. Amſtelod.	1696.
Epigrammata ſacra. Amſtelod.	1696.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-153 4° 01119